



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Iosephi Ripamontii E Collegio Ambrosiano Historiarvm Ecclesiae Mediolanensis Decas ...**

Pars Altera Libri XVIII

**Ripamonti, Giuseppe**

**Mediolani, 1625**

Liber Sextusdecimus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11182**



IOSEPHI RIPAMONTII  
 E COLLEGIO AMBROSIANO  
 HISTORIARVM  
 ECCLESIAE MEDIOLANENSIS  
 Liber Sextusdecimus.



Lacato tandem Numine, annoq; circumacto pestilenti ( is fuit humanae salutis millesimus quingentesimus vigesimusquartus ) Populus & Ecclesia Mediolanensis, ignobili paruae urbis populo, quam Metropolitanæ Maiestati similior erat; & sicuti corpora momento vno dissoluuntur, tardis incrementis augescunt, lente ab noua stirpe renascebatur. Rari & attoniti qui fieri parentes possent: vacuae pleraeq; domus: inania procerum etiam tecta: parui magniq; penates iuxta deserti: compita, & viae, & fora illa calcata tantæ quondam multitudini herbescebant agresti simillima solo; & singuli ciuium velut attollentes ab tumulo caput, iratam adhuc



huc fuscamq; lucem adspicere sese putabant. Mansueuisse celum, inhibita esse pestilentiae tela, tutam esse sibi vitam, vix fides. Et erant ista tamen, licebatque iam crescere, & nouam sobolem reparare vrbi, cui Rex Gallus imminabat, vt statim victor, postea captiuus, cladem ignominiamq; inde aegre elapsus vincula, referret domum. Incitauerant destinata eius Caesariani ipsi illato in Regni fines bello Massiliaque per quadraginta dies diuerberatâ & quassatâ, non tamen captâ; quae oppugnatio postquam irrita fuit, confirmato ob eam rem animo, & ad veterem impetum addita recenti ira, parem eis animis offensionique exercitum celeritate mira in Italiani rapit. Simul Duces nostri cognita profectione Regis, timentes vrbi Mediolano, quam, & relictâ illic praesidij tenuitate, & eo ipso quantulocunque praesidio, sicuti demonstratum est, absumpto, apertam fore hosti prospiciebant, cõcitato ab Massilia nauium cursu legentes oram prospera velificatione Monoeci portum tenuere. Ibi exposito exercitu, tormentisq; membratim in iumenta impositis, pari fere cum hostibus gradu, diuerso itinere procedebant, ita, vt eodem die Galli Vercellas, nostri Albam peruenirent. Inde, & hostes nemine prohibente, traiecto Ticino, Mediolanum versus rectâ contenderunt: & Caesariani praemisso iam ad prouidenda quae tempus moneret, Hieronimo Morono, quanta maxima poterant celeritate subsequentes anteuenire sese posse Gallum sperauerant. Sed Moronus, vbi solitudinem vrbis, vastaue & squalentia cuncta vidit,

re-



relato etiam mortuorū numero (centum quadraginta millia perijsse constabat) squalens ipse, & confusus, desperata defensione, vltro rogare & hortari ciues institit, vt fauienti fortunae submitterent capita, neue Gallo venienti fauendi insuper materiem praebere-  
rent. Acciperent exercitum Imperiumq; cui frustra resisteretur: Id Sforciae, id Caesari gratius fore, quam si pauci & inualidi tot armatorum millibus offerrent sese trucidandos. Satis spectatam esse populi Mediolanensis virtutem: nunc saluti consulendum: generosa pectora melioribus suis & Reip. temporibus reserua-  
rent: memorem Sforciam fidei ciuium optimorum; si cedendo temporis conseruare eos potuerit, adnixurum, vt pristina quoq; ipsorum gloria recuperetur: vindicem fore Deum, nec homines vitio daturos, quod in manifesto discrimine cauta consilia temerarijs antetulissent. Haec & alia praesentium miseriarum solatia & hortamenta, suadente desperatione, Moronus admouebat ciuium animis qui aduentantium fama Gallorum vndique exciti, concionis more circumsteterant virum, & in tam dubia re, quidnam ille afferret, suspensi ab ipsius ore expectabant. Ac cetera quidem eius miserae consolationis peregit Moronus, apud Populum Mediolanensem quomodo quilibet etiam alius orator, desperatarum rerum ignominiam & pudorem eleuare verborum arte potuisset. Illud verò nouum & singulare, & ad Christianos animos maxime efficax attulisse est visus, quod in excusanda deserendae vrbs necessitate, tenerrimam illam Euangelij vocem

cem



tem vsurpauit, qua Saluatorem in extremis suis rebus mortalitate succumbente esse vsum tradunt. Praefatus enim, vt in paribus animi tormentis, verbum vsurpare idem licitum sibi esset; spiritus quidem promptus est, inquit, caro autem infirma; & reliqua deinde sicut exposui, subiecit. Ab ea concione, datis quibusdam propere mandatis, & firmata sicuti potuerat, arce, Mediolano egreditur; ac virata militaris viae celebritate sese Ticinum confert, qua in vrbe Caesariani duces cum Francisco Sforcia exercituq; toto substiterant. Sub ipsa vrbis eius moenia Sforciam reperit egressum impatientiam diutius expectandi quid ipse renuntiaret. Vbi, perditas res, iamque tenentem Metropolitanam moenia Gallum accepit, pauca cum Morono eodem secreto colloquitur; deinde recipiunt sese vna intro ad Caesarianos, ipsos quoq; intentos in nuntium, vnde cuncta pendebant. Quidnam illud secreti sermonis, quaeue suspicandi causa Caesarianis fuerit, nescitur. Ex eo certe die, Sforcia & Moronus in Caesariano exercitu haud secus adspiciebantur, quana si Gallis Metropolim ipsi prodidissent. Et eae deinde suspensiones ab qualicunque ortae principio, cetera addita offensione animorum, siue, per artem & calumniam arrepto quolibet obtentu, in tantum excessere, vt apud Caesarem grauissimo rebellionis & ingrati animi crimine Sforcia accusatus infestam inter miseriae & pericula vitam ageret, atque parta de Gallis victoriam, pro hoste ipse haberetur; quas principis infelicissimi calamitates, & eius negotij exitum reli-

M m m m m quosque



quosque Sforciae casus ad finem usque vitae simul & imperij, in sequentibus libris demonstrandi locus erit. Nunc perculsis repentino casu Caesarianis, Rex Franciscus sine certamine victor Metropoli instabat adeo non repugnanti, ut imperium accipere eius, cum bona prioris domini venia, communi ob recentem pestilentiam approbatione famae, superum etiam quasi iussu parati illic cuncti essent. Ille enimvero, neque ingressus urbem, neque ingredi passus quemquam suorum, tantum collocato circa moenia praesidio, & constituta obsidione arcis, graui proposito edicto ne quisquam Mediolanensium vlla iniuria violaretur, infesta ad Ticinum signa repente conuertit, ne urbem scilicet eam ab tergo relinqueret; idque caput esse belli dictitabat. Caesariani duces, iam oppido probe communito, circa vrbes diuisi alias, in rei Ticinensis euentum intenti, sese ad Metropolim denuo recuperandam accingebant. Miserant Borbonium in Germaniam ad conducenda gentis eius aliquot millia. Sforciam & Moronum interim, neque ut palam irati tractabant, ne alieno tempore exasperarentur, neque ut incauti, ne suspecta iam eorum fide, locum nouae fraudi aperirent. Angebantur difficultate pecuniarum, exiguis ut semper ac lentis ab Caesare subsidijs, & mutata Pontificis voluntate, qui in minore sua fortuna, arcendis Italia Gallis, ut demonstrauit, foederatus, abnuebat nunc omnem armorum societatem, Apostolicoque nomini indecoram esse profitebatur. Florentini item antea foederati & moniti iam ex foedere



dere, quibus auxilijs Metropolitana res indigeret, consentanea quaedam alienationi Pontificis respondebant. Paria referebantur ab Venetorum Senatu, qui prudentiae suae genere, consilium ex inclinatione rerum capere soliti, postquam cum magno exercitu prope victorem in Insubria sensere Gallum, iam amicitiam armaq; illius spectanteis, non teneri sese arbitrabantur foedere, quod fortuna inutile fecisset, & haud dubie immutati verba pro rebus dabant. Alienatis ita multorum animis, & ob res aduersas, vti fit, quotidie magis detecta mutatione voluntatum, res vna tamen exercitui nostro ducibusq; Caesarianis adiumento erat, quod nimirum, Rex Franciscus aggressus magno impetu Ticinensis vrbis moenia, & praesidij robore, & oppidanorum virtute inde repellitur. Atque dum Gallus ibi tempus terit, & nunc dimouendo auertendoq; anni, nunc agendis cuniculis operibusque frustra fatigat militem, interim confirmati nostri Heluetiorum auxilijs, quae Borbonius adduxerat, & animorum fiducia, minime dubitabant, quin recepturi Metropolim breui tempore essent, & excitata sic priore fortuna, deiecturi Italiae finibus Gallos. Spem quidem illam, vt Rex etiam ipse caperetur, vtque tantum munus in Hispaniam ad Caesarem possent mittere, nondum credo agitant. Cum nostra hostiumq. negotia in hoc statu essent, & Gallus, quia Mediolanum haberet in potestate, mox cetera sese habiturum speraret, Hispani, quia oppidi vnus irrita oppugnatione detinerentur,



frangerenturq; hostes, propediem crederent fore debellatum; tempus id opportunum tentandae pacis inter Reges visum est Pontifici Clementi, dum scilicet pars utraque victoriae pignora manibus teneret, dum Rex etiam uterque vinci sese posse arbitrari posset. Sanè Pontificis eius animus initio fuerat, ne sese immisceret Regum armis, & dispari quondam studio molitus bella, factiones foederaq. amplexus, famam nuncingentem illam & Apostolicae maiestati consentaneam adamarat, ut Pater humani generis, publicae pacis cupidus, turbarum inimicus omnium haberetur. Ceterum, securitatis etiam ipse suae causa, dederat hanc occulte Gallo fidem; cum bona sua pace Mediolanensem expeditionem cum semper esse obiturum, neque ab Roma quicquam unquam ad eam rem ei fore impedimento. Postea, Gallicas quoque copias eunteis ad Neapolitani Regni damna transmiserat per Ecclesiae fines, causatus apud Hispanos hoc ipsum, quòd nisi exercitui infesto praebuisset iter, auersurus in se bellum fuisset. Demum haud procul iam aberat ab eo, ut Gallicae potius quàm Hispanae factionis diceretur, indueratq. in communem sese laqueum, nec ferme sentiebat. Implicatus ita & haerens, suspectansq; multa & vicissim ipse suspectus mittebat crebras de pace legationes, in Insuabres quidem, ad Gallum Regem, ad Lanoiam, ad Daualum; in Hispaniam verò, ad Caesarem ipsum, eisq. legationibus miscebat consilia, preces, & Apostolicos hortatus, & quicquid à Pontifice maximo communis otij

causa



causa dici Regibus posset. Reputarent incerta belli, & longinquam ab domo militiam, & ancipites casus, & tot infidas ab vtraque parte victorias, & tantum Christiani sanguinis haustum iam & hauriendum. Conditions quoque proponebat, vtilis vtrique parti, sicut arbitrabatur ipse & honestas; vt Regis Francisci filius natus minimus, ab Caesare Dux Mediolani appellaretur: pro eo munere Caesar ipse pecuniae summam acciperet quantamcumque dari iustum foret. Ita rem Mediolanensem, extra Gallici Regni corpus, & Caesarem, eius dandi, vel adimendi principatus auctorem fore. Nusquam ea secundis auribus accepta sunt. Negabant Hispani, glebam vnam Italici soli Gallis vnquam esse relicturos, insuperq. taciti indignabantur, quod consilia pacis & hortamenta sibi mitterentur ab eo Pontifice, qui relictis foederis fide, sese manifeste fecisset hostem, hostiliaq; iam coepasset: Rex Gallus, capta iam Metropoli, & Neapolitanae conquisitionis vanitate vitioq; nativo inflatus, nihilo aequiorem sese ad Pontificis monita accipienda praebebat. Ea pertinacia Regibus, isque vtriusq; aulae consensus ad dirimendam hanc ferro litem, quasi, non Insubriam in eo discrimine, sed Regnum pars vtraque suum, & omnem ad reliqua famam agi censerent. Lanoia fuit vnus in Hispana parte, qui, posteaquam circumfundi Neapolitano etiam Regno Gallos senserat, prouinciae suae metuens, inclinaret non nihil ad pacem animum, vel certe summam virium illuc transferre conaretur. Inde pugna sententiarum

ei



ei cum Daualo, contendente, si abscessum Mediolano esset, Insubriaque relicta Gallis, etiam Neapolitani Regni nullam irritam fore defensionem, & nulla alia spe minitari Neapolitanis rebus Gallum, quam vt exercitum nostrum ab Metropoli abstraheret. Si manerent in Insubria, posse vtrumque succedere, vt & deijcerent Mediolano hostem, & Neapolim, eo, qui ibi esset milite tuerentur. Insubriâ desertâ, hanc simul Regnumq. amitti, & profectioe ipsa fieri famae militaris irreparabile damnum, quod tristius foret etiam, quam Regna & prouincias amisisse. Potiora haec visa concilio, ipseque Lanoia, damnata priore sententia vinci sese passus, prouisis quibusdam ad firmanda praesidia Regni, totas huc vires animumq; intendebat. Iam exercitus erat noster Gallico exercitu, nulla virium parte minor, fortasse etiam, Germanica auxilia, quae cum Borbonio & Franispergo, & Marco Sitico venerant, non aequauerant modò, sed excederant hostium numerum. Decem millia peditum, duo equitum millia fuere veterani fere militis, quod robur fida Caesari pars Germaniae, & Ferdinandus eius frater, accuratissimo delectu miserat, necessitate simul tanti discriminis, & gloria elatus, vt Germanicae militiae vim intentis in rei Mediolanensis exitum principibus gentibusque omnibus ostentaret. Haec ad veterem exercitum addita subsidia spem haud dubiam attulerant, si duae contrariae acies libero campo adfisterent, posse victoriam esse Caesarianorum, Gallosque profligari. Non minus virtutis

tis



tis in exercitu Gallorum erat, ducesq; ibi, vel animi fortitudine, vel armorum vsu, nominisq; etiam gloria pares nostris. Sed apud iuuenem Regem, Anna Momoransius & Philippus Ciabotus, ob amoena ingenia gratosque mores, antestabant. Inde toruitas & indignatio ceterorum, quibus saepe iratis, pleraque in exercitu negligebantur. Rex ipse Franciscus, acer sane bellator, sed nunquam ita ad negotia intentus, vt voluptates obliuisceretur. Dum Ticinensibus adfidet muris, dum coronâ cingit urbem, dum admoventur scalae, scandereque frustra conatur miles, cum illis Annâ & Philippo abditus Augustali inter ludicra sermonibusque vagis terebat tempus. Laborabant adhuc vti semper pecuniae difficultate nostri; sed apud hostem, stipendia militum intercipiuntur auaritia quorundam & fraude nequaquam ibi tantum factitata, dum scilicet, ementito militum numero, redundantia aera praefectis cedunt. Abduxerat etiam ex Gallico exercitu sex millia Rhaetorum insigni facinore Iacobus Medicaeus, de cuius audacia initijsque fortunae antea demonstraui. Is, patrata caede Monsignorini, praemium eius nauatae operae malum aliquod timens, eoque metu factus audacior, ac pericula ipsa magno discrimini remedium quaerens, ab sua illa solitaria Muffensi arce, quam sibi in tam ancipiti fortuna, prospere, siue secus conandi aliquid sedem initiumque destinarat, perscribit significatque Daualo, posse ipsum, Clauenensî arce capta efficere, vt Rhaetorum proceres, qui miserint auxilia Gallo,  
in



in metum ingentem de summa rerum suarum adducantur. Sic auxilia illa domum esse reuocatuos: de ea re, quid sibi mandatum sit, expectare. Haud displicet Daualo res, laudatoque consilio viri, & missâ ad eum pecuniâ, quò promptius libentiusq; exequeretur, monet dicta factis comprobare. Si succedat, honori atque emolumento id ei apud Caesarem etiam fore promittit. Exibat matutinis horis ab arce quotidie Rhaetus, & ibi ante portam aliquandiu inambulabat. Ea quotidiana consuetudo praefecti nota Medicaeo; posuitque in vicina latebra insidias, ac profiliens inde ipse repente comprehendit hominem & multae simul iniectae manus. Ad quem casum trepida captiui coniunx, cum reddi sibi maritum ex arce conclamaret, furcâ repente in eius oculis erectâ Medicaeus, strangulari laqueo iniecto ipsum iubebat, nisi porta patefacta illico esset. Ita, capta per Medicaeum arce, timentes Rhaeti, ne initium id belli esset aduersus libertatem suam exorientis, quo exardescente mox bello, depellerentur vniuerso Vulturenae Vallis tractu, sciuerunt suo more, Vt Tecanus, qui ductor popularium in exercitu nostro erat, illico rediret domum, seque & copias illas patriae periclitanti restituere ne cunctaretur. Ea non parua lacuna facta erat in Gallorum exercitu; machinatorque fraudis Medicaeus, ab ea primùm commendatione, innotuit Caesari simul, & incussit aliquam ducibus sollicitudinem, si homini tam prompto adfacinora, minitaturique rebelliosem auso, tantum etiam prouidentiae

ad



ad militaria opera esset. Ceterum, ita sicuti demon-  
strauimus aucti confirmatique nostri, ab Laude Pom-  
peia, qua in vrbe sese recollegerant, numero copiarum  
inito ad Melinianum processere. Inde Ticinum va-  
dunt, & castris prope nostra castra positis tantulo  
interuallo, vt partis vtriusq; fistulatores inuicem se-  
se laceffere possent, plumbeaeq; glandes hinc inde  
certo ac destinato ictu adigerentur, paruis illis cer-  
taminibus summae rei specimen auguriumq; capta-  
bant. Castra Regis Galli in eum modum sita fuere,  
vt pars militum tenderet intra ferarum septa, quae  
veterum Vicecomitum oblectamenta, sexdecim mil-  
liaria campi peramoeni includunt, pars latius ab ex-  
teriore parte porrigeretur, diruerantq; murum inter-  
iectum quanto necesse erat hiatu, ne ab ope mutua  
dirimerentur. His castris, vt dictum est, appropin-  
quauere Caesariani, partim, conspecto per campos &  
prata exercitu, partim abdito nemoribus, ad D. Iu-  
stinae, ad D. Lazari, sicuti planities tunc ea patefce-  
bat, obscurabaturae. Interfluebat dirimebatque mu-  
nimenta flumen satis profundo alueo praecipitibusq;  
ripis cuius fons ex septo ipso manat. Accolae Ver-  
naculam dicunt. Circa eum annum crebra certami-  
na erant transire conantibus nostris, prohibente Gal-  
lo. Et munitiones alioqui ceterae castrorum, agge-  
resque, & fossae, & bellicâ arte reperta cuncta mili-  
tum securitati, intra suum vallum partem vtramq; de-  
fendebant, vt neutri alteros ad pugnam compelle-  
re possent. Atque compertum postea est, secreto

Nnnnn

mo-



monitum fuisse Regem à Pontifice Clemente, ne pugnae discrimen adiret multis iam rebus impar: daret Hispanorum exercitui spatium, quo senescerent paulisper atque debilitarentur: non posse diutius eos ob pecuniae angustias in eo loco sustentari. Nec vti que poterant, & ideo cupiebant quamprimum praelio defungi. Ad x. Cal. Martias, nocte, quam sacer Apostolo Matthiae dies, idemque natalis Caesari sequebatur, Daualus, & Borbonius, & Lanoia, mandant ceteris ordine praefectis, vt singulos milites tunica alba super extimam vestem iniecta iubeant esse amictos. Id signum, & quasi tessera debebat esse, per quam inter se dignoscerentur, ne obscurum noctis & gladiatorum agitatio anceps, vulnera & ictus ab hoste in ipsos anerteret. Ita praekonium missum; temporisque fere momento, sicut imperatum erat, steterunt omnes ad nutum intenti Ducis. Tum de tertia fere vigilia adsultatum est hostium castris, atque ab diuersa parte praelio ostentato pars septum irrum-punt, alij regiam stationem aggrediuntur. Et Rex ipse, audito strepitu sentiens adesse discrimen, prodierat vltro ab statione illa eduxeratque suos in libertiorem campum sperans equitatu superiorem se esse. Populere primò Galli nostros quia, necdum vniuersi irruerant, & equestris procella vehementius ab latere incubuerat. Mox Lanoia cum Germanico peditatu superuenit, inclamante Daualo, vt opem ferre properaret. Eius aduentu cessere nostris Germanis peditibus Gallorum Heluetij, qui primo impetu feroces

ces



ces aegre antea sustinebantur. Pugna erat atrox, magnumque discrimen etiam ijs qui deinde vicerunt. Rex ipse ante alios terrorem & caedem eximio bellatore equo, & victrice per aliquod tempus machaera animoque elato circumferebat. Strauerat humi multorum corpora equosque, abscissas à brachijs manus, abscissaque brachia, & detruncatas ab reliquo corpore ceruices; suorum quoque nonnullos coecus sua & noctis caligine obtruncarat. Demum ipse lapsu saucij morientis equi in fossam effunditur. Teusus humeros fuerat argentea chlamyde vincente tenebras noctis splendore suo; cetera ignotus quinam homo esset. Spe praedæ treis gregarij milites illico circumstant, recusantemque dedere sese & oblutantem interfecuri erant, ni Regem se esse dixisset. Tanto magis tenent inhihentque attoniti magnitudine suae sortis & subita reuerentia in captiuum. Accersebant deinde Borbonium, vt is exciperet Regem; qui, proditorem contumaci ore abominatus, etiamnum imperitans, venire potius Lanoniam iubet. Ab eo exceptus, & cum omni honore, qui captiuo Regi haberi posset, ductus in Hispaniam, quae deinde libertate adepta ob rem Mediolanensem hostilia & infausta adhuc tentant, in tempore exponemus. Captiuitate Regis, consternato & fuso dissipatoque omni Gallorum exercitu, diei insequentis lux Populo Mediolanensi victoriam aperuerat, & dilapsis repente etiam qui obsidebant arcem, nocte sese vna potuisse liberari admirabantur. Galli, qui



praelio affuerant, quae circa praesidia dispositi ce-  
 lerem acceperant famam cladis, cateruatim, siue so-  
 lutis ordinibus abeunteis, haud prius constitere quam  
 relictas sibi ab tergo alpes cernebant. Mediolani,  
 pulso in hunc modum hoste, nullus in praesentia fru-  
 ctus tantae victoriae erat, inanemque laetitiam fe-  
 cere populo ea quae secuta sunt. Iam Rex ille, qui  
 Metropoli prouinciaeq; bellum intulerat, ductus in  
 Hispaniam ad Caesarem, Madriti in arce custodie-  
 batur humanarum rerum & regiae fortunae mise-  
 rabile exemplum, cum Caesar victor ne adspicere  
 quidem eum voluisset; vnde moeror captiuo, & ex  
 moerore morbus, qua denique miseria impetrauit,  
 vt benigne inuiferetur ab eo, quem armis ipse la-  
 cessuerat. Iam Regina Mater prius etiam abomi-  
 nata infanctum illud in Italiam iter filij, tanto nunc  
 magis consilia belli consiliorumque authores oderat.  
 Et Gallia tota, caeso insuper, aut casibus alijs amisso  
 nobilitatis flore, omnique propemodum amissa mi-  
 litari sobole, poterat lugere magis quam vindicare  
 casum Regis; ac discordijs & moerore vtique occu-  
 pata desierat iam reparare vel minitari nobis bellum.  
 Vrbs tamen ipsa, quasi nocturnâ illâ victoriâ, stra-  
 geque hostium, & captiuitate Regis nihil actum ef-  
 set, oneribus adhuc exactionibusque immodicis, &  
 quod omni onere acerbius, victricium legionum li-  
 centia & rapacitate vexabatur. Ab gregario ege-  
 noque milite simul, & ab ducibus opulentis, exhau-  
 ribantur ciuium iuxta & agrestium, dites pariter &  
vacuae



vacuae iam domus. Carebant adhuc pastore Mediolanenses, sicuti deinde etiam caruere vsq; ad Ioannē Angelū Arcimboldū, cui postea Cardinalis ille Hippolytus sua fessus absentia, & conscientiae credo stimulis ictus, Ecclesiam hanc authore Pontifice Maximo tradidit, cum Ambrosiana emolumenta curis semper intentus alienis diū ipse percepisset. Facile quilibet ex eo coniectauerit sacrarum rerum adhuc nuditatem, & miserias, quæ in tanta militari proteruita & turba male propulsarentur etiam si suus Pontifex Metropoli praesens intentusq; esset. Sforzia porro ipse, quem illa arma defenderant, qui ve vnus defendere nunc urbem ac tueri suos deberet, miserrimus vere mortalium erat, ac miseratione sui moerorem publicum augebat. Namque ducibus Caesarianis, iam antea, quomodo narraui suspectus, ceu prodidisset ipse Gallo urbem, siue innocens ab ea parte & aemulatione fortè aliqua inuisus, indeque apud Caesarem accusatus falso, perfidus amicus, occultus hostis habebatur; & velut in alieno adhuc imperio cuncta seruientium mala sustinebat. Nec Caesari tantum erat obnoxius, cuius beneficio rediisset in urbem, cuius etiam armis & praesidio ad reliqua pericula casusque indigeret, sed mancipia eius erant ipsi Regum instar; incredibileq; dictu, Dux Mediolani nemini regnantium antea secundus, regionum hodie nutu supercilioq; regebatur. Suspiciatus etiam erat ipse, & sicuti scriptum lego, compererat, habuisse Lanoiam illud à Caesare mandatum, vt, si fieri posset absque tumultu

et alio

tu



tu, sese detinerent abderentque aliquò, vbi mouendi quicquam adempta facultate vacuam relinqueret imperij sedem ad ea quae pararentur. Quae ludibria, atque tam infestam principatus & vitae conditionem effugere volens, agitasse fertur, de Hispanis, qui Mediolani erant, interficiendis, atque de ea re cum Galliae proceribus perniciosè inita consilia habuisse. Nec ego de ea coniuratione certi quicquam affirmauerim, cum temporum etiam eorum scriptores, quibus notiora cuncta esse potuerunt, negotium illud omne haesitanter & ambigue tetigerint. Sed neque omittam ea quae scriptores ijdem posuere pro certis, dum coniurationis crimen aduersus Caesarem, inter Sfortiam, & Daualum, & Moronum diuidunt communicantque, & ipsum adeò Pontificem, Venetosq; Senatores suspicione nonnulla adspargunt, vniuersi tamen facinoris authore & quasi proxeneta Morono, de cuius hominis apud Sfortiam gratia & potentia nonnihil etiam antea demonstraui. Is Galliarum irruptionum tempore profugus vnà cum Sfortia, calamitatum omnium exsilijque comes, dein exorta apud Caesarianos suspicione, socius criminis, post victoriam hoc tempore non contentus victoriae fructu, sua principisque conditione inquietus, coquebat moliebaturque assidue multa animo, & molientibus noua alijs aptus opportunusq; erat. Ingenium ei cum magnis virtutibus, nec extra vitia, quae ab virtutum ferme confinio oriuntur. Animus ingens cum superbia & fastu: belli pacisque artes cum fraude ac dolo:



dolo: fides & obsequium erga Principem haud sine adulatione emolumentisque quotidianis: apud pares, apud superiores, modestia & submissio: comitas erga infimos: iustitia in omneis; sed cuncta potentiam spectabant. Etiam patientia rerum aduersarum, atque quotidianas inter offensiones, tenor semper idem oris, eorum interpretatione, qui talia intelligebant, ad vindictae cupidinem & expetitur inde solatium referebantur. Hunc, magnae cogitationis, per haec indicia compertum sibi Daualus, siue Daualum ipse pares animo fluctus voluentem sagacissime odoratus, post colloquia nonnulla, post captos varie ambitus ad aegrum animum, vbi tuta res visa, socium sibi affumit ad ea, quae fortis vterque suae contemptu noua & praecipitia experiri statuerant. Id modò incertum fuit, vter eorum iecerit prior tam periculosi sermonis aleam, aususque fuerit emittere primam illam funestam vocem, quã etiam audiuisse, capitale foret. Sed, siue Moronus incoepit, siue Daualus; prodidit certe Regnicola hic homo Mediolanensem illum, & nostrati simplicitati Neapolitana fides illufit; apparuitque nostrorum hominum astutias fraudibus cedere externis, etiam vbi palmam in eo genere non nemo fortasse est affecutus; quae certe palma Morono illi tribuebatur. Regnicola igitur Daualus, primo quidem communicauerat consilia cum Morono, vt bona fide proderet absentem Caesarem, vtq; Hispanorum caede firmato Sforciae principatu, eo deinde adnitente, Neapolitanum Regnum ipse ad-

piscē



pisceretur. Verum, vbi gerendae rei difficultates, & pericula horrenda, summumque discrimen, inter consultandum primò, deinde inter moliendum, occurrere animo, ne nihil plane lucratus esset, impedimenta ipsa, & vœcordem iam fatali prope calamitate animum Moroni pro lucro arripuit. Ceu fidissimus homo Caesari, defert vltro per celeres nuntios ad eum, quam deprehenderit Moroni mentem, quid secum ille communicare ausus, qua adhuc spe & destinatione sustentetur. Nec vnus esse Moroni flagitium illud, sed Sfortiam, interprete mancipio, deprompsisse quae ingrato aduersus liberatorem suum animo concepisset. Vt autem auderent vterque depromere, effectum esse arte sua & prouisu, quo speculatus inquietam vtriusque mentem, tumultuantemque perfidiam, fingendo se quoque aegrum animi, & fortuna sua male contentum, illexerit vt portenta secum illa communicarent. Cognouisse etiam, parari aduersus rem Hispanam Sforciae ipsius instinctu nouum foedus, eique foederi Pontificem Romanum addere arma & opes suas. Rem esse in magno discrimine, frustra captiuum teneri Gallum Regem, frustra partam esse de Gallis victoriam, si Dux Mediolani finatur ille, qui per satellites suos id agat, ne Caesaris nomen audiatur in Italia, vtque faturetur ipse caede eorum, quorum sanguine patriam atque principatum ex miserrimo exilio recuperarit. Contexta in hunc modum accusatione Daualus, qui ipse maxime accusandus foret, missoque in Hispaniam



nam Ioanne Baptista Castaldo familiari suo, qui  
Caesari cuncta ordine demonstraret, dum ille profi-  
ciscitur, prospiciebat deinde agebatq; omnia, vt Sfor-  
tiam & Moronum publicè atque testatò arguere con-  
iurationis posset. Cùmque Sfortiam ipsum interim  
in colloquia eadem traxisset, mirificâ insuper tenta-  
uit obtinuitque fraude, vt certus ab Roma cum Pon-  
tificijs litteris sibi mitteretur homo super ijs rebus,  
quæ aduersus Caesarem foederis lege agendaessent.  
Ita, & testibus iam, & indicijs illigatos improuidos  
homines tenebat Daualus; iam res nota Caesari e-  
rat, & quotidie tamen Sfortia & Moronus cum socio  
eodem & proditore suo tamquam de re arcana se-  
cretò consultabant, fallaciâ atque errore etiam apud  
animum nostrum miserabili, nisi fraudulentum machi-  
natoris exitus, qui propediem insecuturus erat, ex  
immagine moesta & tristi laetam iucundamque aliam  
offerret. Daualus enim ipse, dum irati Caesaris man-  
data in Sfortiam & Moronum postea exsequitur, mor-  
tus est è phtisi, & marcidum illud liuore ac mali-  
gnitate pectus concepta fallaciarum labore tabes ab-  
sumpsit. Nunc laetus Castaldi reditu, & Caesaris  
mandato, rebellionis puniendae rebellis ipse strenue  
intentus erat. Mandauerat autem Caesar, vt pro-  
pter irritatos victoriâ recenti suâ principum Italo-  
rum timores; qui velle ipsum oppresso etiam Sfortia  
Italiam occupare totam suspicabantur, atque ob id  
inter se coniurabant, eâ quâ instituisset simulatione  
Sfortiam Moronumque detineret. Sic posse consilia

Oooooo melius



melius hostium cognosci, & securitate iniecta illis, spatium interea sese habituros, ad prouidenda & comparanda cuncta, quae aduersus noui foederis pericula opponerentur. Miserat verò interim etiam diplomata, quae Sforciam Mediolani Ducem creabat auctoritate sua, siue ad dissimulandam animi offensio- nem, indiciumque tegendum, siue, vt tumentem illius animum hoc dato blandimento placaret; eaque mollior interpretatio fuit. Mox Daualus, incertum, Caesaris iussu, an sponte sua priuatoque consilio diuersa quaedam orditur. Volebat adimere Sfortiae Metro- polim, arcem, vrbesque subiectas, & imperium hoc omne Mediolanense inuadere Caesaris nomine, quasi pristinus possessor manifestò perduellis, ob id crimen omni iure excidisset. Opportune ad id etiam vale- tudo Sfortiae ipsi acciderat, anceps adeò & grauis, vt vulgò actum de eius vita existimarent. Vnus obsta- re posse Moronus videbatur, quia fessum animum Principis ille consilio & spe optima sustentaret, ne rebus succumberet aduersis, neve frangeretur metu. Hunc ad se accersitum, & quam benignissime exce- ptum artifex doli, per speciem colloquij secretioris cubiculo inducit, vbi Antonius Leua, peristromata inter & parietem, obscuro in angulo compositus oc- cultabatur, vt suis ipse auribus, ea, quae ab Morono dicerentur audire posset; audiuitque cuncta & exce- pit, quasi res iam ipsa gereretur. Namque simpli- cissime Moronus ignarus adhuc fraudis, illato per du- plicem illum proditorem sermone, assentiri interdum  
& lau-



& laudare hanc illamue consilij viam, interdum ad-  
dere de suo, & exponere tutiora, siue expeditiora  
quae sibi visa essent: ambigere nonnunquam, scisci-  
tari modò aliquid, & super omnia, instare ne rerum  
dies verbis amplius & segni consultatione absume-  
rentur. Interimque Leua Dauali manibus in turpi illa  
collocatus latebra, voces etiam audierat, queis ipse  
destinabatur neci. Nam inter cetera conuenerat hoc,  
vt ille occideretur. Ab scena deinde illa fallacique  
colloquio mittitur Moronus in Ticinensem arcem, &  
Daualus eò confestim subit ad quaestionem de scele-  
re habendam, cuius particeps auctorue ipse erat. Sci-  
licet, impudentia & malignitate Tiberianis quoque  
temporibus fortasse intolerabili, certe ab temporibus  
moribusque ducta iisdem, interrogabat reum, pariter  
reus sociusque coniurationis, & ex reo ac socio, re-  
pente inimicus, accusator, iudex. Respondebatque  
Moronus, non sicuti ira & desperatione deberet; plu-  
ra scire Iudicem, quàm alios omnes, sed qualia ver-  
ba mistus fiducia pauor gignit; adhibebatque tem-  
peramentum, vt si qua reliqua esset salus, eam ne  
sibi libertate intempestiua abrumperet. Reperio quin  
etiam, scripsisse sua manu eum seriem vniuersam con-  
iurationis, prima postrema omnia, & quemadmodum  
inuito aduersus Caesarem foedere Sforzia, paratisq;  
insidijs exercitui Hispano, nihil aliud quàm idoneum  
gerendae rei tempus exspectaret. Reticuit de Daua-  
lo ipso, quod vnum tacitum atque dissimulatum pro-  
desse sibi poterat. Debuerat namque placari Daua-



lus facta significatione tam reuerentis animi erga ipsum; atque ea modestia apud quemlibet alium utilis futura reo fuit. Sed callidus homo, ex Hispania oriundus, Neapoli natus, iam inde à puero stipendijs semper nutritus alienis, domi diues, potentiae maioris audus, nihil praeterea curabat aliud, non humanitatis iura, non famam ad posteros; & iam eò processerat, ut ne parcere quidem aut eleuare crimen posset. Interrogato reo, & extortâ quam voluerat confessione, ipsum quidem in vinculis relinquit, augetq; custodias, tamquam sceleri infensus, ac nec elaberetur; Sfortiam verò ipsum, ne quis grauior in vrbe motus existeret, haudquaquam pari violentia statim aggredi ausus, rogat primò, ut publicae salutis atque securitatis causa tradi sibi iubeat arces quasdam Caesaris nomine custodiendas; deinde etiam ut circumuallari arcem Iouis sineret, petit. Petebat simul uti dederet sibi Ioannem Angelum Ricium & Angelum Politianum, quorum vterque scriba intimus, hic Moroni, ille ipsius fuisset. Oportere vtrumque interrogari de rebus ijs, quas ipse aduersus Caesarem molitus esse argueretur. Sforzia adhuc morbo implicatus, & multò magis ob eiusmodi rerum statum detectamque coniurationem animo aeger, consilio praesidioque nudatus omni, neque negare audebat, & concedere omnia flagitiosum rebatur. Tritium, Leucum, Picicatonem, has in Abduae fluminis ripa positas arces, sicuti petitae erant, concessit: Iouis arcem, ipsum esse Caesari conseruaturum aiebat: Ricij ope,



ra ministerioque quotidiano indigere: velle apud se  
detinere Politianum, vt in tempore testem hunc Cae-  
sari exhiberet earum rerum, quas Moronus se in scio  
atque aegrotante egisset. Non enim eandem esse  
suam & Moroni causam; & qua vixisset erga Cae-  
sarem fide, cum ea sese moriturum. Haec ab Sforzia  
respondebantur, litterisque etiam & libellis ageba-  
tur res; quibus Daualus haud dubie vincebatur; sed  
vincebat ipse manifestâ iam in eum quoque violentiâ,  
sparsoque per urbem & agros late exercitu;  
rursusque diuinæ iustitiæ telo est victus. Namque,  
dum aduersus Iouis arcem pergit excitare munimen-  
ta quae destinarat, dum obsessum ibi Sfortiam tenet,  
dum etiam adacto in Caesaris verba populo Medio-  
lanensi, omnique vetere deiecto magistratu, Cae-  
sarianos magistratus imponit, atque ita ceu patror  
ingentium rerum, praemium hoc à Caesare promit-  
tit sibi, vt ne prouinciae vnquam huius imperio &  
administratione dimoueretur, mors eum quae iam est  
repraesentata dimouit. Cuius tamen viri manibus  
detur etiam narratione hac nostra elogium, quod  
dedere scriptores alij; neque perfidiâ magis infamem,  
neque bello clariorem vllum per ea tempora fuisse.  
Et Daualo quidem finis Mediolani obtigerat ille, mi-  
tior etiam, quàm proditori Caesaris, proditori socio-  
rum suorum obtingere debuisset; Metropolis autem  
ab eo conatu, in quo eum vita destituerat, nullum,  
extincto quamquam authore, calamitatibus inuenie-  
bat finem, atque conuersis in vnâ urbem Regum  
gen-



gentiumque fere omnium armis, tempore vno, sicuti aliquando etiam aliàs, ab suo hostilique exercitu eadem patiebatur; & facti erant hostium loco, qui defendebant; populique adeò pars inermis, dum aduersus defensores suos, ob atroces iniurias armatur, grauiora quotidie mala indidem prouocabat. Pontifex Maximus, & cum Galliae Rege Veneti, Sfortia princeps, & Caesar ipse, finitimi longiniquie alij, quos ira, quos dolor & inuidia, curauit aliqua, & ex aliena felicitate damnum, & generi humano infestae regnantium necessitates stimulabant, omnis vno conglobati armorum turbine, Urbem atque prouinciam, de qua dimicabant inter se, vastauerunt, & amens ob talia populus, sui vastator fuit. Id erat foedus, quod Caesaris metu sollicitati principes, post victoriam ad Ticinum captiuitatemque Regis agitare inter se coeperant, & liberato nunc Rege, obfessoque intra arcem Sfortia, tantò magis inire properabant, ne Caesar, addito ad Neapolitanum Regnum imperio Mediolanensi, appeteret etiam reliqua, & totius Italiae arbiter foret. Dilata autem in hanc diem confirmatio foederis eius fuerat ob plures & diuersas inter se causas, necessitate rerum, diffidentiam partium, fraudeque aliqua minime sociali, cunctatione etiam innoxia, & prouisu, & spe, timoreque nonnullo; & super cetera, tardauerat rem idem qui nunc incitabat Sfortiae Moronique casus iniectus prodicione Daualli, patefactis quae secreto agebantur, & postquam detecta erant, celeritate assumpta subsidio. Cumque  
cun-



cunctarentur adhuc, & in ipsa destinatione celeritatis, Gallo quidem Regi moram iniiceret multis etiamnum vinculis illigata libertas; ut se carcere eximeret, proles data obsidio, & relicta apud Hispanum carissima pars sui, & pacta vicissim ipsi Caesaris soror; Pontifici autem Senatuque Veneto obstaret imperij, vtriusque natura, & Rex Anglus (is quoque enim inibat foedus) lente ut ex longinquo moueretur, abruptit impedimenta eis cuncta res Mediolanensis in vltimum iam adducta discrimen, quae si apud Hispanum maneret, haud dubitabant, quin Italicis externisque imperijs periculum ab eadem potentia, ut dixi immineret. Mittebat ad eos inclusus obsessusque Sforcia crebras ex arce literas plenas vltimae desperationis, quae litterae partim per intermissa custodij loca, fida manu & occulto itinere perueniebant eò, quò destinabantur, partim ab iisdem, qui ferebant, proditae, vel quo alio casu interceptae nudabant arcis miseras, & ea, quae semper ab obsessis reguntur. Vix mensis vnus alimenta esse sibi; ex octingentis peditibus, quos secum initio habuerit, partem absumptam esse fame, & paucos qui supersint, fieri quotidie inutiliores; nimiumque multos esse praeeunte modo: si subsidium vltra dilatatum sit, minimum malorum fore deditioem: dedita arce, videre ipsos, quantulum Caesari ad opprimendam seruitio Italiam restet. Maturando foederi, quod multa simul distulerant, haec fuere. Sed & Mediolani, propter intolerandas exactiones, cum hostilia cuncta Caesarianos

inter



inter populumque essent, spem propè certam foederatis inter se hostibus ea res fecerat; si ad vrbis moenia successum esset, posse obsidione eximi Sfortiam, Caesarianosque depelli. Namque abdito & obsessore intra arcem Sfortia, versaue Metropoli in Caesaris ditionem, pecuniae ferè nihil in militum stipendiis à Caesare mittebatur, & Daualo successerat in rei militaris administratione Antonius Leua bellica laude ei par; magnae fortunae vitijs, & prodiga rapacitate damnosior etiam vrbi. Tricenos aureos nummos singulis diebus publicè exigentem sibi, ampliusque quotidie effundentem, non interea caruisse coaceruandi seponendique curâ aiunt. Et quota pars calamitatum vnus homo tot inter duces legionum, quae capto Rege triumpharant Gallos, quae, cum Regem esse sibi Caesarem gloriari possent, post tantae victoriae fastum, nitebantur absentis Caesaris indulgentiâ, ducum suorum exemplo, & licentia in urbem, quam praedae sibi datam esse interpretabantur? Quotidiana tributa exercitui huic alendo, quicquid millium aureorum summam explebant, & sparsim per domos manipuli occupabant fortunas vnde summa illa reficeretur. Itaque populus Mediolanensis, ob iniurias & damna vimque sibi illatam, semel atque iterum concitato tumultu arripuerat arma, pugnaveratque in hospites suos, & direpta praefecti rerum capitalium domo, minitati fuerant haud dubiam à Caesare ipso defectionem, nisi nobilium precibus & auctoritate placati inhibitiue essent. Popularis igitur

tur



cur ille tumultus principum interuentu sedatus in praesentia, cum saepius deinde rencuaretur, opportuna res visa foederatis ad coepta prosequenda Metropolitique Hispano adimendam, qua liberata, non Sforciae tantummodo principatum, sed imperia omnia libera & constituta fore aiebant. At Caesar, posteaquam videt, Regem Gallum, non modo sprete pactorum fide, quibus pactis liberatus ab se dimissusque esset, verum etiam hostili post mutua pignora animo, neglectuque pignorum ipsorum, non relictae prolis, non desponsae Eleonorae memorem rursus ad arma ire, hostes assumere alios, caputque fieri foederis, nimium quantum etiam ipse turbatus, tentato nequicquam, si forte disijcere foedeus illud posset, ubi vana ea spes erat, parare ac providere cuncta institit, ut negotio illo infestissimo quamminime laederetur. Atque, ne in ipso quidem belli apparatu, quo Caesaris interim Regna perstrepebant, destiterat ultro compellare, nunc Regem, nunc Pontificem, ut amabiliter, & clementer, fraterneque vellent agere, potius quam ut bello secum aeterno implicarentur. In eam rem Vgo Moncada Romam a Caesare proficiscens cum Mediolanum exitinere diuertisset, petito Sforciae ipsius colloquio, in arcem una cum Martino Carraciolo, qui Romanae dignitatis vocabulo Protonotarius vocabatur, admissus, egit dixitque multa, ut Principem obsessum, cuius gratia foedus hostile inibatur, Caesari reconciliaret. Si permitteret eius sese fidei ac beni-

P P P P P

gnitati.



gnitati, fore aiebat, vt perduellionis crimen, cuius insimularetur, compendiaro iudicio cognosceret diiudicaretque Carracciolus, de cuius erga se animo dubitare ille non posset. Et erat sanè summa necessitudo Sfortiae principi cum Carraciolo hoc, vnusque iam iste Caesarianorum manebat, qui, vel casum fortunamque illius respiceret miti aliquo sensu, vel ab ipso sine offensione animi adspiceretur; poteratque sperare iudice ab illo exitum causae fortasse meliorem, quàm si res decernenda ferro permitteretur. Affirmabat etiam Moncada multumque testabatur; non iudicium illud, sed imaginem & vmbra fore iudicij, vt ea, quae accidissent, simulacro saltem aliquo tegerentur, & in restituendo imperio rescindendaque Dauali actione, maiestas & iustitia Caesaris aliqua emereret. Moncada deinde Romam ire pergit, ibique apud Pontificem Clementem multa de pace est locutus. Summa sermonum fuit. Mandasse Carraciolo Protonotario Caesarem, vt cognosceret quae breuissime de ijs, quae Franciscus Sfortia aduersus imperij sui statum egisse argueretur; ab ea cognitione relinqueretur in eo statu, quo ante perfidiae crimen fuisset. Ob eam rem, eamque causam, nihil opus esse exitiabili bello, & prope ciuilibus inter Christianos principes armis. Responsum à Pontifice est; iam rem in eum locum esse deductam, vt arbitrij sui nihil amplius foret. Si sibi esset integrum, facturum omnia libenter, quae Caesari grata & vtilia posse esse arbitraretur. Ad bellum  
inde



inde haud dubie atrox res spectabat, parato etiam  
vtrunque exercitu, quantae partium opes, & quan-  
ta discriminis magnitudo erat; & spatium compa-  
randi cuncta habuerant dum ea quae demonstraui  
aguntur. Sed apud Caesarianos infestissima vna &  
capitalissima res manebat, quae si relinqueretur abs-  
que remedio, sicuti confirmauerat magna spe iam  
inde à principio foederatorum hostium animos, ita  
victoriam illis esse datura videbatur nisi plaga sa-  
nata illa foret. Et remedijs exulcerabatur ipsis, gra-  
uioremque vim mali eam fecere Hispani dum curant.  
De qua quidem seditione, bellouē intestino sic tra-  
dunt. Populus Mediolanensis, patiendo quotidie  
grauiora, & iniurias ab Hispano milite vorando as-  
siduas, seipso contumacior factus iam eò processse-  
rat mutuis iniurijs, vt vicissim timeretur. Non mo-  
dò vllum habere domi militem, hōspitiāque & ali-  
menta praestare exercitui abnuebant; sed si quis  
in vlla vrbis parte solitarius miles, biniue, & terni de-  
prehensi erant, ab iuuenum nostrorum globo strenue  
interficiebantur. Atq; irritati illi manipularium suo-  
rum nece, multorumque iam casibus & exitio cautio-  
res facti, nusquam ferē nisi gregatim incedebant a-  
doriebanturque nostros, qui item agmina cogentes  
maiora prodibant vltro, & per compita quaerebant  
pugnam. Multae passim acies dimicabant in vrbe  
nusquam aliās adeo incertā, dominos, an hostem  
intra muros haberet, quippe cūm, & facerent hostilia,  
& paterentur ijdem, qui Metropolim tenebant.

Pppppp 2 Tunc



Tunc Antonius Leua, propinquante maiore cum hostibus alijs discrimine, proscribit edicto quos capita esse populi compererat, finita die, intra quam exisse portis deberent. Ob id edictum, tantò violentius armari plebes, stationemque aggressi Hispanorum magno impetu stragem dedere. Leua etiam ipse facto eo magis irritatur, & diripiendam dare exercitui cum promiscua caede urbem parat. Tutius id inter belli imminentis pericula meliusque fore, quam si Hispanus exercitus, pro amico & subiecto populo hostium gentem circa se habiturus esset tunc cum aduersus vndique circumfusos foederatorum exercitus rem geri oporteret. Igitur, concitandae multitudinis vltro initium quaerens Leua, arripi repente è foro negotiatorem vnum obtruncariq; iubet, ideo, quia sedens in apothecae suae limine, transeunti fortè sibi illac, neque aperuerat caput, neque assurrexerat, contumaciq; insuper ore, & proteruo obtutu contempnisse ipsum videbatur. Treis deinde alij, qui ad eum casum tumultuose vociferanteis commouere sese voluerant, arrepti statim & occisi. Ea tumultuandi materies principio oblata multitudini erat. Mox Germanicae cohortes praedabundae per omneis vrbs vias, de industria occasionem dedere ad arma conclamandi. Satis sciebat Leua, promptum ad talia populum fore illico in armis, ideoque partem exercitus, quae in suburbijis aestiua agebat, iusserat silentio succedere ad moenia, signoque accepto, gradum inferre & facere vti ceteros vidissent, Populus

199999  
199999



lus, ad primos Germanicarum cohortium insultus, momento penè vno, in multa agmina multasque acies tota vrbe adsistit, existimans cum vrbano tantum milite esse pugnandum; alium ad portas stare exercitum nesciebant. Praetorium, & turriniuxtà Archiepiscopi aedes primo impetu tenuere, ac neutro inclinata spe, cum caderent è nostris plurimi, nihilo minor strages fiebat in parte, quae tumultum eum optarat. Mox Germani, ex composito tectis iniicere ignes coeperunt, & dato signo, suburbana alia acies accerserentur. Iam fumabat incendijs vrbs, & maiore superueniente exercitu, nostri opprimebantur. Hinc ferrum, hinc flammae, & vagitu mistus puerili, feminarum senumque vlulatus, improuidam ad belli opera multitudinem, & potius dolore animorum, quam vlla militari ratione & arte sese regentem subegere vt placare quacunq; conditione Leuam repente auerent. Misso ad eum caduceatore conditiones haece pacis ferebant. Abituros vrbe principes plebis, ipsos, aedificasque eorum, & quoscunq; praeterea Hispanus vellet. Tradere protinus arma, & polliceri, quod nusquam amplius tributa detrectarent, neque eorum causa tumultuarentur. Leua enimvero, quamquam periculosi ingenij populum excidio destinasset, agitabat animo tamen interim etiam pericula & damna, quae direptionem eam clarissimae vrbs sequi necesse esset. Nam, & ditatum praedam militem, posse contumacia & luxu corrumpi languescereque autumabat, & in vasto ac nudo postea so-



lo frustra requisiturum aliquid eorum, quae nunc reconciliatis animis & sedato tumultu, ad tolerandas belli necessitates, multa & magna suppeditarent. Ita pax data populo Mediolanensi, suppressique ignes, & in sua quique tecta, non positis modò, sed etiam abiectis armis, rediere; fidaque deinceps aliquandiu hospitia militibus erant, qui nuper incendere volebant easdem domos, & cum hospite ipso conferuerant manum. Compositis in hunc modum utcunque rebus, & ex quotidianis ferè praelijs, nouissimoque cruento tumultu, redacta in aliquem tolerabilem statum vrbe, spes haud dubie magna foederatis decesserat, qui Mediolanensium ipsorum manibus vinci posse Caesarianos existimabant. Nec sanè alioqui res eorum satis ex animi sententia procedebat, ortà etiam inter ipsos haud leui suspitione, quia Dux Urbini, qui Venetum exercitum ductabat, eratque rerum ipse ferme caput, cùm traiecto statim Abdua flumine, debuisset copias admouere vrbi, Sfortiaeq; obsessio, & ad famem iam prope redactò, subsidij ferre nonnihil, cunctabatur in ripa, siue traducto ad Melenianum agmine progressus inde circuibat declinabatque urbem, pro subsidio diu expectato spem vanam ostentans arci. Sanè ille, cunctationis suae causam in concilio hanc afferebat, quòd nollet exercitum committere discrimini antequam mercenaria auxilia Heluetiorum, ad quae conducenda, Iacobus Medicaeus, & Episcopus Laudensis fuerant missi, aduenissent. Sed qui rem eam altius coniectauere, existima-

stima-



stimarunt, Vrbinatem, vel occulto Veneti Senatus  
admonitu, vel sua vetere recentique erga Pontifi-  
cem Clementem offensione, sic esse procrastinatum,  
siue, vt authoritatem animumque huius affligeret,  
siue, vt Veneti ab vltima Sforciae necessitate Cremonā  
Vrbem extorquere possent. Et auxerat hanc ipse su-  
spicionem, posteaquam ducto deniq; ad vrbis moe-  
nia exercitu, coeptaque Romanam inter & Tonsam  
Portas acri oppugnatione, retulit subito inde castra  
ad Melinianum, obnuntiante multa multumque recla-  
mante Pontificis Legato, iratis Gallis, & Leua ad-  
mirante ipso, vndenam sibi tam laeta repente fortu-  
na accidisset. Ita Caesariani liberati erant ingenti  
metu, Sforciae spes elusae, atque ex eo terribile an-  
tea foederis nomen euanescere paulatim contemniq;  
& eleuari; ac simul, Mediolanensium calamitates  
non renouatae solum, verum etiam ad tragica pene  
& cum horrore abominanda exempla euectae, quas re-  
presserat lenieratque formidata apud Hispanum ea-  
dem quae nunc hostium fama contemnebatur. At-  
que vniuersos Patriae casus ego iam inde ab initio  
operis apud monumenta requirens ea, quae ad vete-  
ris memoriae custodiam fidissima esse existimaui, re-  
ferensque singula, prout narrator iste sermo vulgò  
vsurpatur, portenta referam ea Scriptoris alieni ver-  
bis, qui aequalis ferme aevi eius, debuit audiens ta-  
lia commoueri misericordiae sensu erga tam indigna  
exempla, vel etiam debuit indignatione esse com-  
motus aduersus eos, qui Metropoli tam proterue,  
tam



tam inhumane insultarent. De ea Mediolanensium  
 calamitate per mutuos timores repressâ, per Cæsaria-  
 norum elationem auctâ, Franciscus Guiciardinas ita in-  
 » fit. Diuisi milites in ciuium domos, non copiose tan-  
 » tum, & opipare, delicateq; propter fastidium & violen-  
 » tiam alendierant, sed libidinibus eorum insuper ex-  
 » plendis pecunias ab hospite suppeditari oportebat.  
 » Aduersus quod intolerabile malum, nihil remedij præ-  
 » terquam in fuga relinquebatur. Sed eo deprehenso  
 » subsidio, miles Hispanus necēbat vincla hospiti; femi-  
 » nas, paruosque pueros, ne possent abire, ligabant; &  
 » tristiora his silentur. Tabernæ clausæ omneis: nihil  
 » vsquam venale prostabat. Defossâ ornamenta tem-  
 » plorum, & quicquid aliud singuli occultarant, tormen-  
 » tis admotis proferebant eadem manus. Mœstitia, &  
 » pallor, & desperatio in singulorum vultu eminebat: vi-  
 » ri feminaq; , eleganti aliâs nitidoque cultu, nunc squa-  
 » lore & illuue deformes in pauperrima veste conspi-  
 » ciebantur. Exemplum incredibile varietatis huma-  
 » narum rerum; urbem, quæ olim diuitijs, & frequentia  
 » incolarum, artificum ingenijs, finitimorum, externo-  
 » rumque commercio, religione, luxu, bello, discipli-  
 » nisq; scientiarum, & omni, vel publica, vel priuata  
 » amoenitate, florentissima Italiae totius fuisset; eam  
 » nunc exhaustam peste & fuga, & hospitum iniurijs, de-  
 » sertam oppressamque iacere, & fortitudinem inclytam  
 » gentis roburq; virorum, humilitate seruili sic esse defor-  
 » matum. Hæc ferme Guiciardinus alienigena tamquam  
 » de sua vrbe, deploranti similior quàm narranti, refert.

Cate-



Ceterum, urbem ita affectam recreauerat paulisper Borbonij ex Hispania aduentus, quem, & magnis pecuniæ facultatibus ad refouendam Prouinciam stipendiaque persoluenda militi, instructum à Caesare esse, & fieri Mediolani Ducem, miscens falsa veris, siue diuulgans maiora vero fama nuntiarat. Attulerat autem ille in syngraphis, nihil amplius quàm centum millia nummum aureorum, ingens priuatis fortasse rebus laxamentum, inutilem bello summam, quae, voragine exercitus necessitatumque aliarum absorpta foret prius quàm exacta & deprompta. Dux Mediolani, neque fiebat ille, neque si fieret, attinuerat sperare quicquam misericordiae vel humanitatis ab homine trausfuga, & Gallo, & proditore Regis sui. Mediolanenses tamen, vt in perditis rebus adsolet, faciles ad credenda & tentanda, quae, tempore alio, sicuti stolidi & vana aspernarentur, facto nobilium caetu, & iactatis inter se quae nouo Principi dicenda essent, supplices ad eum accedere spe ipsa maximè miserandi, cum qua ad traditorem accedebant. Quae dixerit electus ceterorum consensu orator, minimè necesse fuit probabiliter & accommodate excogitari, sicuti fieri aliquando in historijs solet. Nam, qui tunc in Italia scriptores rerum erant, attenti ad hosce Mediolanensem casum, sicuti ciuitates totae attentae simul erant, excepere capita infauitae orationis & prodidere. Summa haec fuit. Populum Ecclesiamque Mediolanensem, aduentu Borbonij, quem dari sibi nouum à Caesare Ducem

Qqqqqq cem



cem audirent, pro eo ac debuerat, fuisse gauisuram, & solenni etiam pompa triumphoque testaturam id gaudium, si calamitates infandae, quibus oppressi tenerentur omnes, alium vllum quàm doloris & moestitiae sensum, pompam aliam vllam quàm lacrymarum, & Populo & Ecclesiae ipsi iam reliquissent. Omnia, quae captis vnquam vrbibus acciderent ab irato hoste potuerint, sese ab Caesariano exercitu esse perpeffos; & cùm nihil fieri crudelius potuerit, illud tamen sibi esse longè acerbissimum, quòd propter ciuitatis erga Caesarem perfidiam, licentia permessa militi dicatur velut in rebelleis. Atque non fuisse rebellium ea, quae facta ab sese memorare possint. Namque tenente vrbem Gallo, coortos ad arma ipsos, faustis in Caesarem clamoribus animos turbasse hostium, & res eorum profligasse. Bis deinde hoste ab illo obsessos, vt Caesari conseruarent vrbem, pertulisse omnia, quae Caesar etiam ipse, si intra moenia eadem obsideretur, gloriae imperijque sui causa perferre paratus esset. Cùm nulla interim ab Caesare stipendia exercitui mitterentur, fortunas suas, muliebremque mundum vltro in stipendium obtulisse. Singulorum ciuium domos benigne apertas fuisse militi; corpora, non die, non nocte, stationibus, excubijs, periculis vllis extra telli iactum; & magno illo ad Bicomam praelio, quo Gallorum arma fracta in perpetuum, aut debilitata sint, si vere aestimetur, populum Mediolanensem fuisse inter victoriae causas, eiusque rei testimonium

da-



datum Metropoli prolixè ab Daualo & Columna ;  
& Borbonium vidisse ipsum , qualem pro Caesare  
pugnam ediderit gens , quae nunc deleatur vt rebel-  
lis. Vltimos profectò tumultus , quae vna despera-  
tae plebis noxa obijci possit , ab nobilitate esse fe-  
datos ; nobilitatem persuasisse plebi , vt concitores  
suos ab sese ablegaret , & traditis armis cum mode-  
stia & quiete clementiam Caesaris opperiretur . Sed  
oratore eum , per quem ista dicerentur , scribunt ,  
longius etiam dolore motuque animi prouectum alia  
quaedam subiecisse propiora confidentiae & liberta-  
ti quàm modestiae vel abiectiōni supplicum . Dirue-  
» rant , inquit , Aenobarbi manus , urbem hanc , idq; fac-  
» uitiae hostilis furiosum exemplum viderat maiorum  
» nostrorum aetas . Saecutum in nos est magis , Caes-  
» sarisque milites crudeliora ausi sese nobis fecere Ae-  
» nobarbos . Et illum vtcunque furorem veteris Ae-  
» nobarbi , dies vnus , alterue , tertiusue consumpsit ;  
» noua haec militum insania insatiabilis aeterna est ;  
» paulisper mitigata surgit infestior ; & quomodo fla-  
» grantibus assidue damnatis desperatio ipsa fit poe-  
» na ; sic nos , isti ne optare quidem malorum exitum  
» volunt . En Mediolanenses clari victorijs quondam ,  
» & Caesaris ipsius testimonio laudata gens , certe de-  
» fensa totius imperij viribus , & tanto impendio ex-  
» petita illi inter subiectos , Metropolitanus populus im-  
» perij effector huius , domitorque finitimarum urbium ,  
» verberum vibices & cathenarum vestigia ostentare  
» possumus , quae dedecora , non hostes aliqui imposue-

Qqqqqq 2 re



„ re captiuis, sed hospites enim uero nostri imponunt;  
 „ dum perpeti ista, quam exsuere fidem placet. Te  
 „ Princeps obsecramus, ut, aut abire nos hinc sinas  
 „ quieturos in ea terra, in qua quiescere nos uoles, aut  
 „ statuas aliquem hisce miserijs modum, aut, si neutrum  
 „ horum placuerit; age sane; dic praefectis militibus  
 „ que tuis, ut bombardas, & tela, & quicquid armorum  
 „ ad conficienda reliqua belli promptum habent, ex-  
 „ pediant in populum hunc, scilicet ut vno tandem  
 „ ictu tollamur rebelles. Quicquid virorum est,  
 „ cum vxoribus liberisque nostris procedemus in cam-  
 „ pum, & immota acies ibi expectabimus quicquid  
 „ istud imperij securitas requirit. Non erat Borbonio  
 „ ingenium, sensusue ullus, quem flectere miserabilia  
 „ haec possent; sed ne irritatus quidem feritatis ex-  
 „ probratione, quae uerbis inesse ultimis videbatur;  
 „ siue irritatus, & alte amareque dissimulans, dixit;  
 „ facta quae essent, infecta reddi non posse, & cordi  
 „ fore Caesari, sibiue, ut omnia deinceps recte admi-  
 „ nistrarentur. Secutis postea diebus, accersendo ad se  
 „ principes eisdem ciuitatis, talia quaedam aiebat.  
 „ Incommoda, quae accidissent, non Caesaris erga fi-  
 „ deles amicos negligentiam, non praefectorum Hispa-  
 „ naeque nationis vitio, sed ob pecuniae inopiam ac-  
 „ cidisse. Frequens id in re militari malum & Catho-  
 „ licae Regiae propria temporibus hisce labes coegit,  
 „ inquit, & facere milites ea quae nollent, & dissi-  
 „ mulare Caesarem, ea quae punire uellet, & pati vos  
 „ interim quae nuper haud sine magno nostro non do-  
 „ lore



lore solum sed pudore etiam ab oratore vestro de-  
plorabantur. Nunc id agimus, idque molimur, ut  
nobilissima ciuitas redeat in pristinum statum, &  
sublata militum necessitate, simul obruatur quicquid  
antea licentiae, & iniuriarum fuit. Atque ad sanan-  
da & tollenda quae oportet, est nobis quidem pro-  
uisa pecuniae summa, quantam impliciti tot vno tem-  
pore negotijs regij curatores transcribere huc po-  
tuerunt. Sed nequaquam ea lacunas explere omneis  
potest. Ad centum millia nummum aureorum, quae  
sunt nobis in promptu, si triginta alia vos adijcere  
vultis, spes est, breui calamitates & lamenta procul  
hinc fore. Ego certe exercitum educam hinc, & ma-  
teries ablata malis erit. Si fallam; tunc ut hoc mi-  
hi caput ab reliquo corpore auferatur, siue, cum in  
aliquo discrimine belli rem geram, igni plumboque  
absumar. Talia dixerat Borbonius ut exitu postea  
suo nobile documentum ceteris etiam ipse ducibus  
fieret, ne periurio populos fallant. Quem Borbo-  
nij casum ludibriumque vecordiae spectauere Roma-  
ni homines haud sine risu etiam in media clade, tunc  
scilicet, cum Hispanogallus, ad moenia vrbis, in ipso  
petendae coronae muralis feruore, deuolutus retro  
moribundus amensque per scalas rueret, & brachijs  
ludens, & crure, ranae instar, cuiusmodi mortis facies  
Homeri carminibus inest. Sed Caesarianus quoque  
exercitus interim risit, quia Galli Regis transfuga &  
proditor, in eo quoque Caesarem prodiderat ut ar-  
ma, quae pro salute & libertate Italiae acceperat,



ijs armis ad inuadendam urbem Romam stolidè abuteretur. Verùm haec aliquanto posterius acciderunt. Mediolanenses autem, fallaci promisso decepti, luctati cum tenuitate quisque sua, & exhaustis omnibus oculis, vt summam eam triginta millium conficerent, protulere ipsi quidem id quod poscebatur; sed nihilominus manebat unicuique miles in domo, non modestior interea, non mitior factus; nec facultas vlli iam eadem alendi militis manebat. Borbonij ea fuerat fides. Constat, ab hac frustratione proditoris, eum fuisse Mediolani cumulum aerumnarum, vt plerique, ne inter assidua tormenta animi agerent vitam, vel iacto in praeceps corpore, vel iniecto sibi in fauces laqueo, informe aliquod eiusmodi mortis genus eligerent; qui finire honestius vouerant, occubere ferro. Desperatio eadem in arce erat, nisi quòd vnicum ibi malum fames. Cui leuandae, turbam inutilem, ferè ad trecentos, ab ea parte, quae in hortos spectat, exposuere, tantaque negligentia obsidentium fuit vt intacti omnes euaserint, & per media munimenta exeuntibus obstiterit nemo. Pueri erant, feminaeque, & imbecilli senes, qui humanae societatis vinculo aliquo validioribus adiuncti, postquam vltima necessitas ea vincula dissoluebat, coacti abire à suis, vicissim posito omni suorum desiderio abire. Famelicum id atque miserabile agmen ad Melinianum in foederatorum castra processit, accenditque ibi multa indignatione militum animos, tum ad spectus eorum, tum verò pudor ipse, simul-



si multitudo imbellis erumpere ab obsessa arce potuisset, ipsi subsidium illuc intrmittere nullum possent. Itaque, clamore, & strepitu, qualis esse tumultuantium solet, perucière, vt singulorum ordinum ductores adirent tribunos; & Tribuni, Vrbinatem, demonstrato seditionis periculo, referre rursus castra coegere Mediolanum versus; quatrduoque proximo, circum suburbana rura Casoretum & Lambratum, & inde vsque ad D. Gregorij & Sancti Angeli Aedem misti Venetis Galli, & in vtroque exercitu Romanae legiones steterè tamquam haud vltra dilatatae, quin irrumperent arcem & necessaria tolerandae obsidioni intrò ferrent. Vrbinati tamen, cui, sicuti dictum est, cuncta obediebant, mens eadem quae iam inde principio fuit, manebat, vt scilicet, pro subsidio & ope quae tantis quaesita apparatibus fuerat, speciem semper inanem arci ostentaret. Consultando cum tribunis, agitando multiplices vias aggrendendae rei, docendo in quae pericula iretur, de industria extrahebat tempus. Duces ceteri exercitus illius, videbant quidem cunctationem iam penè infamem imperatoris Veneti, & cunctandi fortasse causas artemque suspicabantur, sed propter auctoritatem & opes, ingeniumque viri, arguere nemo vnus audebat. Sforzia interim inclusus, non modò angebatur suorum fame, sed ipse quoque (rarum principibus) experiri ac sentire coeperat, quid mali esset fames; & addito ad tormentum id dolore, quòd sine exitu vllò spem auxiliij propinquam videret,

agi-



agitare coeperat, vti permetteret sese Borbonio, arcemque Caesari dederet moestus simul & infensus, & animo corporeque languens. Iam super ea deditio-  
ne emissus ab arce Iacobus Philippus Saccus, qui Senatus postea princeps fuit, aliquoties commearat, & vicissim à Borbonio missi in arcem fuerant, qui solarentur aegrum animi Sforciam, larga ei apud Caesarem & benigna cuncta pollicerentur. Cum in eo statu res esset, & concilia quotidie inter foederatos, de auxilio ferendo arci, reque tentanda, vel omit-  
tenda quotidie haberentur; Iacobus Medicacus, ille iam in abrupta progressus & ex ancipiti mutatione fortunae pendens, voluit tentare nonnihil, & non sine magno suo periculo etiam tentauit. Cum enim arce per dolum occupata Mussensi, neque receptum sibi ad Sforciam reliquisset, & adiungendo sese foederatis, à Caesare etiam post magna merita desciiuisset, nec segni tutus esse quiete poterat, nec ad rem vllam suo Marte gerendam habebat opes; interimque omnes ipsius motus & dicta omnia suspecta erant apud eos etiam quibus sese tradiderat. Pecuniae quoque partem, nuper in Heluetios ad conducendas inde copias, cum Episcopo Laudensi missus interuertisse insimulabatur. Volens igitur in tam lubrica fortuna ad sese confirmandum conari & efficere aliquid, persuadet Heluetijs, qui iam in exercitu erant, & ab ipso regebantur, vt ab Urbini Duce deposcant sibi periculum penetrandi in arcem, subsidiaque inferendi. Pulcrum ei genti videbatur tantae  
rei



rei gloriam occupasse, & cuius negotij causa, tr eis  
maximi exercitus consociati essent, id Helueticis ar-  
mis esse confectum. Ipsum consilij authorem ro-  
gant, vt legionis nomine verba faciat; & nihil ille  
cunctatus, vt qui legationem eam vltro quaesuis-  
set, extollit in concilio auidam periculi gentem, se-  
que ducem ei fore periculo profitetur, & posse ita  
eximi arce Sfortiam, quod maius etiam foret, quàm  
commeatum subsidiaue alia intulisse illuc. Cùm in  
eam sententiam pleraque militariter à Medicaeo per-  
orata essent, Vrbinatem ferunt, motâ animo irâ exar-  
sisse velut in disturbantem sic atque euertentem ea,  
quae ipse destinasset. Dissimulata ad praesens indi-  
gnatione, paulò post parata habuisse vincla Medi-  
caeo; & ipsum, in tentorio, cùm daretur aqua ma-  
nibus, notasse turbati oris argumenta malignaeque  
cogitationis indices vultus, atq; dissimulato intellec-  
tu, quasi necessitatis alicuius causa egressum inde,  
dum Principes ordine accumberent, innuisse suorum  
vni, vt sisteret sibi equum, eoque raptim conscen-  
so funestam eam cenam mutasse felici fuga, neque  
vspiam constitisse donec Musensi arce rupibusque  
suis tegeretur. Et ille quidē cum tanto suo periculo rem  
eam infenso Vrbinate tentarat; Sforcia verò destitutus  
omnibus vitae alimentis, cùm ne diem quidem iam  
vnum durare posset, pactus sibi cum Borbonio non-  
nulla, quae irrita fuerunt, arce excessit, eratq; de-  
inde ad Laudem Pompeiam, quam urbem foederati  
habebant, eique attribuerunt. Deditio arcis facta est  
ad x. Cal. Sextilis, Anno salutis cto io xxvi. qui An-  
R r r r r nus



nus Hispani Imperij principium Metropoli, non tamen finem ullum malorum afferebat. Nam, & antea sine arcē imperium id male inchoabatur, &, vt in nouo lubricoque adhuc dominatu, militares iniuriae multae & magnae perferendae erant. Leuamenti non nihil dedit auersum paulisper aliò bellum; & res eae, quae genus humanum moestitia ac terrore compleuerunt, subsidio nobis fuere, ducto per Borbonium exercitu ad diripiendam urbem Romam capiendumque Pontificem, & agendos in vincla Cardinales, quo facinore inhorruere animi, & Caesar ipse, dolore & ita contraxisse morbum dicebatur. Quòd nisi authorem tanti sceleris Borbonium vindex Deus in medio scelere oppressisset, credidere gnari cogitationum Caesaris, facturum fuisse eum, vt suae religionis famam, edito magno aliquo in id rebelle caput documento sanciret. Sed, vt demonstraui, iustitia Numinis anteuertit; portentumque illud hominis, vt omni deinceps aëuo memorabile exemplum fieret, per scalarum gradus praecipitauit plumbo absumptum & igni, sicuti deuouerat ipse sese tunc, cum populum Mediolanensem periurio impudenti fallebat. Is igitur annus, captiuitate Romana, bellorum externorum casibus, ambiguaque etiam foederatorum inter ipsos & iam prope dissoluta societate, varius apud alios, turbidus, instarque prodigij cuiusdam, modica nobis quiete post receptam arcem agebatur; ac nisi per milites in praesidio urbis relictos staret, tota ad breue tempus parua quies vr-  
bi



bi erat. Interea Medicaeus, quem ob minaces in Vrbinatis supercilio notas, contempta ferali coena elapsum repente tentorio castra fugisse foederatorum memoravi, coeperat ab Mussensi sua arce altius attollere animos & nihil iam mediocre meditabatur. Neque Caesarem iam, neque principes alios à quibus abierat, sed fortunam qualemcunque suam respiciebat anceps & paratus sequi quocunque ea vocaret. Hac mente despectans cetera, Venetos legatos proficiscentes in Galliam, aggredi interciperet; ausus detinuit apud Mussum in arce donec pecuniae summam repraesentauere quam poscebat. Aiebat, tantam se pecuniam erogasse de suo, cum in Heluetios auxiliorum causa mitteretur; atque id ipsum postea missis Venetias ad Senatum litteris excusauit. Rupe deinde arceque minime contentus ea quam periculorum suorum initio occupasset, munitiora quaedam & principali cultu magis digna domicilia exquirens sibi, ne in latebra semper illa, ferae ignobilis ritu occultaretur, ad Montis acuti arcem animum adiecit. Est eo nomine collis in Mediolanensi agro, medius ferè Briantaeos inter & Orobios, multa frugifera arbore, viteque consitus; in summo vertice, tecta capacia quamuis amplae nobilisque familiae in arcis emunita modum habet. Tunc habebat eam arcem idque domicilium vnà cum subiecto colle Alexander Bentiuolus Ioannis f. quae familia dominata Bononiensibus olim, principatu amisso, fuerat ob propinquum genus à Francisco Sfortia col-

Rrrrrr a locata



locata ibi, priusquam hic quoque principatum amitteret. Medicaeus, posteaquam loci opportunitates ingeniumque adamavit, per litteras simul, & per amicos coram, Sfortiae ipsi demonstrat, segniter & incuriose Montem acutum à Bentiuolo custodiri; si Caesariani oculos eò adijciant, posse ipsos nullo negotio & expellere inde Bentiuolum, & munimenta inexsuperabilia addere arci, quam ubi in potestate haberent, circumiecta simul omnia habituros, atque ita de amoenissimo tractu actum fore. Si fides sibi habita sit, non solum posse sua cura & vigilantia inde summoueri Hispanos, sed stationem quoque Leucensem ex propugnaculo eo infestam genti ipsum esse effecturum. Ingenium credo Medicaei nondum factis cuiquam innotuerat, & quiduis fortasse aliud Sfortia suspicabatur hoc tempore, quam ex interfectore Monsignorini nouum hunc sibi parari hostem, cum quo homine gesturus aliquando esset bellum, ubi pacem, fortunamque pristinam à Caesare impetrasset. Siue ille, amissa Metropoli, de summa rerum anxius imperioque superstes, & iterum iam prope exul, Montis acuti fortasse ne meminerat quidem. Vtcunque sese ea res habuit, scripsit certe Sfortia ad Bentiuolum, ut ei qui epistolam ferret, tradita arce, abire inde ne cunctaretur. Epistolam Medicaeus ipse ferendam acceperat. Sed existimans posse etiam accidere, ut apud Bentiuolum loci amor plus quam verecundia Principis valeret, nocturnus eò cum militum manu accessit, & excitato Bentiuo-



lo armatas ei obtulit literas, ita, ut ille Sfortiae mandata simul & parendi praesentem necessitatem intueretur. Arce in hunc modum occupata illa Medicaeus, exercet in vicina rura populosque Briantaeorum quicquid iuris & imperij iustus alius legitimusque princeps in magna aliqua sua necessitate ad cogendas pecunias, exercitumque supplendum usurpare posset. Statim ei tribunalia & magistratus, & forense ministerium, carceres quoque & carnifices, & multis locis erecta patibula erant, ne quis detrectare novum imperium auderet. Milites, & veteranos plerosque habebat, qui fortunae minoris olim periculorumque focij, tanto promptius nunc ad grandiora sese attollentem sequebantur, & ex tota illa circumiecta regione conscribebat novos, qui ipsi à veteranis ad omnia belli opera exercebantur. Ipse, obvia comitate in omnis alloquioque fingero, nec minus effusus beneficijs, quam poenis acer, caritate simul & metu sanxerat terrarum earum obsequium erga se & fidem. Nobiles Briantaeos, prout ingenio prompti, vel stolidam opulentiam inutiles erant, varie etiam tractabat. Illi curationibus arcanisque consilijs admouebantur: hos saevo ad Montem acutum carcere cogebat indicare quid ubi defodissent, nec dimittebantur antequam accersierant ab domo pretia redemptionis pro captu suae quisque fortunae, & in fortunas conditionemque singulorum accuratissime inquirebatur. Quibus rebus constituta aliqua tyrannidis forma iustoque propemodum exercitu

citu



citu coacto Medicaeus, magna quotidie inferebat detrimenta Caesarianis, adeò quidem, vt Antonius Leua dicere solitus fuerit, plus negotij sibi exhibuisse tumultuarias istius cohortes, quàm ipsa foederatorum arma. Quas enim arces in Abduae fluminis ripa Venetorum terris obiectas ad Bripium præfertim, Tritiumque Hispani habebant, has ille crebris incursionibus acerrime infestabat, & obsidendo itinera effecerat, ne quid ab Leuco Mediolanum, siue hinc illuc liberi & aperti esset; ac vltro citroque commeandi facultate erepta haud dubie illam magni momenti arcem erepturus esse Hispano videbatur. Aduersus hunc hostem Leua, vi simul doloq; connixus, ab vtraque parte infelix fuit. Martinus erat quidam ex ignobili Briantaeorum pago (Mondona cum vocant) idque Martino etiam cognomen. Asper homo & violentus, infidus, nulla bona arte, sed in alienam pecuniam diligentiam probatus Medicaeo electusque ad tributa exigenda, tantò capitalior erat in eo magistratu, quò plus vtilitatis peruenire inde ad se simul videt. Sicuti fit, pari gradu procedebant, fauor & benevolentia heri in seruum, & mancipij erga herum diligentia magis quàm fides, cumque ditaret quotidie principem exactor, vicissim ab illo iste ditabatur. Possesse hunc ministrum esse Medicaei interficiendi Leua arbitratus, & praesenti pretio, & maioribus in posterum promissis per homines idoneos eum corrumpit. Non recusat a grestis publicanus; sed callide reputans ipse secum, quod



quod interfecto hero transfuga proditorque vilis haberetur, transire cū alio insuper haud vili munere agitabat, occupata scilicet per furtū traditaque Hispanis arce & pago, qui Peregus dicitur. Latrunculorum habebat manum ad ea, quae parabat adiunctam sibi & fidam. Hos tamquam iussu Medicaei captos, iniectis catenis appetente vespera secum trahens, appellat ex itinere praefectum arcis familiarem sibi hominem, vt deponi apud sese patiatur; & ipsum ea nocte futurum ibi caenaturosque vnā. Facile acceptus intrò soluit repente captiuos: hi praefectum ligauere resque gesta pulcherrime erat. Sed postero die Medicaeus, comperta fraude exactoris sui, mittit ad oppugnandam arcem latrunculosque vnā cum proditore capiendos. Capti omnes, atque ad montem acutum illico raptati, statutis toto vertice furcis ordine suspenduntur. Martinus, quia primo tormentorum adpectu ediderat insuper ea, quae sibi cum Leua conuenissent, genere alio supplicij punitus vt apud incolas regionis eius in terribile exemplum abiret. Singulos viui artus rotae pendere fringere lanij, totosque dies dilata & continuata carnicina est, quò lentius ille moreretur. Hanc exitum habuere insidiae, quas Leua in Medicaei caput excogitarat; & ipse tanto suo periculo irritatus in Hispanos, odio deinde nominis eius ac metu, adiutum sibi nouum ad foederatos quaesivit, quos necdum vilo grauiore facto violarat, nisi quòd vt salutis suae consulere, aufugerat è castris, & Venetae

le-



legationi iniecerat moram, pecuniaeq; nonnihil aucupatus inde sibi erat. Ita foederatorum ab eo tempore totus fuit, instigator eis & minister contra Caesarianos, donec Leua, ob continua damna versus in viri admirationem, statuit per beneficia adiungere Caesari, quem nec tollere dolo, nec aperto Marte superare potuisset. Subegere autem Leuam vt beneficijs vincere Medicaeum tentaret, astutiae horribiles viri eius, & calliditate maior fortitudo, roburq; animi inuictum, & belli fortuna conatibus eius raro inimica; & quod deniq; appareret, si foederati hunc diutius in partibus suis hominem haberent, haud magnopere ad rei Mediolanensis securitatem profutura esse Caesari, vel dissidia eorum, vel quae inde data laxamenta Metropoli erant. Dum enim dissident illi cunctanturque, & parum sincera inter se fidem rem agunt eam, cuius rei causa coniurarent, accepta ab eis pecunia Medicaeus, Rhetica vna conducta legione irrumpere in urbem tentauit, apertam tum forte & opportunam, quia Leua educto ad Melinianum exercitu, nihil fere praesidij ibi reliquerat. Quominus ab legione illa, Medicaei ductu tunc vrbs caperetur, nulla res alia obstitit, quam ipsius Leuae celeritas, qui comperto discrimine obuiam iuit, & Rhaetorum contumacia, qui praelio aduentante superiorem locum tenere noluerunt, in quo ab duce collocati sternere impune Hispanos potuissent. Ille, hinc pertinacia suorum, hinc hostium impetu coniectus in vitae discrimen, atque deprehensus inter loci angustias,

&



& Hispanorum tela, concitato quantum poterat equo, traiecit ingenti saltu carrum, quo obsepta via erat, intactusque euasit. Res gesta est ad Carratum pagum, qui distat ab vrbe quatuordecim millia passuum Lambro flumini appositus, & imminent rupes, unde paratum Hispano exitium stabat, si parere uoluisset gens obsequij ignara, & tunc irritata suspitione, tamquam ab ipso Medicaeo trucidanda Hispanis rupe in illa obijceretur. Sed non, quemadmodum Medicaeus tanto facinore infeliciter tentato euaserat ex media Hispanorum acie, ita Hispani ex ipsius euadere manibus potuerunt cum Mussensem arcem adimere ei paulò post tentassent. Hispanus erat Villaterellus apud Leucum prefectus arcis, non Medicaeo tantum infensus ob ea, queis famam quotidie Caesarianorum ille obterebat, sed nationi quoque suae iratus, quòd ab nouo homine (sic enim eludentes appellabant) tantopere insultari sibi paterentur. Hominem Medicaeo percarum iste habebat in custodia Sardum cognomento. Quem ubi tentando varie, callidum audacemque cognouit, traxit paulatim in quendam huiusmodi sermonem; si dimitteretur è carcere salutemque acciperet, ecquid posset ipse excogitare ac moliri, quo remuneraretur id munus? Ad ea Sardus dicere, nihil posse amplius ab se praestari, quàm ut Mussensem arcem ei traderet, idque pro ea consuetudine ac familiaritate, quae sibi cum Medicaeo esset, facili negotio effecturum. Res magna uisa Villaterello; sed tanti promissi vadem dari sibi aliquem poscebat.

Ssssss

Cap-



Captiuus Palamedem Abdum Briantaeorum facile ditissimum, vadem fore pronuntiat; nec ille recusauit. Ita Sardus è carcere dimittitur, auideq; deinde Hispanus promissa expectabat. Res inter eos ita conuenerat, vt paratis ad inuadendam arcem omnibus, proditor Leucum vsque excurreret; inde sublata secum in lembum Hispanorum cohorte perageret. Sed ille, statim vbi ex tetro carcere magnoque capitis periculo saluus in Medicaei venerat amplexum aperuerat ei cuncta, & vbi tempus visum, ad illiciendos in re-tia Hispanos, simulata quadam sua profectioe Medicaeus abierat palam ex arce nocturnusq; redierat. Tunc Sardus ad Villaterellum exit, & lectissima Hispanorum corpora, in his Villaterelli fratrem ipsius virtutis eximiae iuuenem, sub titulo gerendae rei ad necem ducit. In ipso arcis ingressu obruncati omnes, duobus exceptis, qui, cum porta cataracta demitteretur, nondum illato pede conspicati sociorum stragem aufugere inde maturarunt, & per montium eorum deuia, per abrupta, prope exanimis in tutum peruenere. Hi postea beneficium celeste agnoscenteis, cuius prope miraculo viuerent saluiq; essent, simul res pertasi humanas, contulere sese ad Franciscanos, & vitae reliquum cinerea in toga sancte ibi laudabiliterq; egerunt. Villaterellus ipse, post tantam cladem, praefecturâ damnatâ & contemptâ illâ, patris praecipue desiderio moerens, impetrato ad sepulturam corpore, cū bona Leuae pace, & venia, Lucio Brisighello successori tuendam arcem reliquit. Fraus igitur etiam ista

Me-



Medicaei, siue Imperatoriae prudentiae successum appellare quis malit, cum ad pleraq; alia noua, & tremenda viri eius accessisset, occulte perculerat Leuam, vt ex hoste facere amicum tacitus destinaret. Sed cunctantem adhuc, & in ancipiti consilio expectantē tempora Hispanum, ne id vltra differret, compulere ea, quae mox ad Leucum gesta sunt. In vltiore fluminis ripa locus ille est, frequenti mercatu, & arcis fama satis notus; tunc quidem etiam maxima cura, simul Hispanis, vt tueretur, simul foederatis, vt capere possent. Aditur ex Briantaeis, ponte, quod Ioannis Vicecomitis antiquum opus & quadrato lapide per decem pilarū interualla fornicatū, Abduae nomen magnitudine sua auget. Posuit eam molem Archiepiscopus Ioannes cum potentiae Regum equiparatus, Pontificatum simul & arma imperiumque vrbis ipse haberet. Medicaeus, expugnato ponte disiectoq; militum praesidio, qui tamquam arcem alteram eum tuebantur, premendo obsidione Leucenses, cogebat Leuam mittere ab vrbe eò subsidia, quae, nec terrestri per Briantaeos itinere commeari poterant ob crebra regionis castella & arces, & si ab altera parte nauibus venirent, obsepato cathenis lacu arcebantur. Cumque Leua extremo iam fere Leucensium periculo accensus, delectas cohortes, atque robur equitatus, Balbiano, & Torello, & Caesare Neapolitano ducibus misisset, Medicaeus vicissim, accito Venetorum auxilio, curulibus insuper tormentis, & omni alia armatura, si quid forte ad iusti praelij discrimen deerat, id quoque subdium prohibere



conatus, obstando ad omnia loca, circumueniendoque; agmen, & pugnando, cruentum id Hispano exercitui iter fecit. Quòd nisi Venetorum copiae, quas ad angustę crepidinis fauces ipse collocarat, conspectis Caesarianis, terga repente dedissent, fama fuit, totam eam repente manum potuisse deleri; quippe, hinc classe, hinc ponte, hinc crepidine valido praesidio armatis, vt sicuti aditus in Leucenses, ita fuga retro impediretur. Relinquebatur vna per Briantaeos via, qua redire Mediolanum possent; sed redeuntibus illac, praelia parabantur eadem, quae venientibus afflixissent, tenente regionem Baptista fratre Medicaei, & ipso cum septingentis qui post Venetorum profectionem reliqui erant mox infecuturo. Verum enim vero, corrupit occasionem nihil aliud quam infida foederis societas, dum partes, nusquam in commune, sed sibi priuatim consulunt, arcemque Leucensem illam, nec Veneti Medicaeo relinquere habendam, nec Medicaeus ad Sfortiaę vtilitatem capere admodum curat. Ob id enim, neque datus vnquam impetus in eam est, impressiue facta, & Veneti locum deseruerunt, qui retentus haud dubie victoriam dedisset. Ceterum Leua, quamquam, & penetrasse vtique subsidiũ illud videt, & spem magnam defendendae arcis habebat, reputans tamen ipse secum ingenium, & artes, fortunamque Medicaei, & pleraque alia voluens animo, promere denique statuit id quod de reconciliando homine secreto agitabat. Loca, & arces, tractusque terrarum, quos illo defectionis tempore occupasset, confirmat



ei Caesaris autoritate; Musi Demarchum appellat; attribuit etiam Leucum, copias & arma parata habere iubet, & praesto esse Caesari ad omnia quae res postulare. Fueritne Leuae consilium hoc reconciliandi Medicaei, an verò Caesar ipse mandasset, etiam qui tunc erant homines dubitauerunt. Pro certo illud habitum est; Moronum, qui, post captiuitatem, deserta infelici fortuna Sfortiae sese Caesari addixerat, & nihil aliud quam gratiam hoc tempore Caesarianorum sequebatur, egisse de ea reconciliatione cum Leua, multisque rationibus demonstrasse ei, quemadmodum vtile Caesari futurum esset, si hostis rebellis ille mitigaretur. Mitigatus autem ita erat, ut in curas benemerendi de Caesare simul & fortunae suae augendae diuisum animum haberet; augebatque munimenta castellis, conciliabat sibi per hospitium, & affinitates animos eorum, unde proferendis finibus auxiliij aliquid speraret; Venetos, ut imperio suo finitimos, utque Caesaris hostes assidue carpebat. Ad omnia, Caesaris nomen obtentui erat, & alba cruce (insigne Caesarianum id fuit) sibi suisque indita, abdicato rubro gestaminis eius colore, foederatorum nomini sese hostem aperte profitebatur. Aduersus eos, pro parte in quam transfisset, fieri cuncta volebat, ille potius credi quam credere homines poterant, siquidem cum aliquo iudicio intuerentur viri animum, & quantum ei fortuna tribuisset, & conditionem temporum, quae erant eiusmodi, ut quod quisque tunc occupasset, id etiam postea esse habiturus videretur. Quin etiam, tunc fuere qui ita differerent.



rent. Sfortia propediem morituro, & propter Metro-  
polim conflagraturâ bellis Italiâ, nusquam melius pos-  
se placari principum animos componique statum re-  
rum, quàm si Medicaeus, vti iam esset in parte domina-  
tionis, ita relicta Venetis Cremonâ, & si quid omitti  
aliud interesset pacis, cetera obtineret. Alioqui, neq;  
Caesarem vnquam Gallo, neq; Gallum Caesari esse  
concessurum, vt ad pristina regna hoc adiecto princi-  
patu tantò potentior fieret; tum vter eorum adipisce-  
retur, ceteris omnibus formidabilem fore. Venetos  
praecipue hoc adhibito temperamento denique actu-  
ros quietem, cui genti calamitatis loco semper habitus  
fuisset adeò potens accola sub nomine Reguli Regum  
opes amplexus. Pauperem Principem fore Medicaeum,  
qui absque vlla finitimorum iniuria, nomen tamen fa-  
mamq. Ducis impleret; fore apud eum gratiae locum,  
fore beneficio, & subiectos interim, magis cum princi-  
pe, quàm sine libertate, moderationem esse salubrem  
imperij habituros. Homines quidem de animo fortu-  
naq; Medicaei, & de eo, quod aliquando futurum esset,  
ita differebant. Ipse verò nihilo humiliora voluens  
animo, quàm quae sermonibus hominum tractabantur,  
tam prope a principe quàm olim ab exsule, in Lario  
lacu classem, exercitum in Briantaeis, Venetorum  
Heluetiorumq; finibus obiectas terras, montium cacu-  
mina, vallium recessus, spatiaque camporum, &  
vbique arces, obsequium apud subiectos, apud externos  
famam, & haec omnia velut concessu Caesaris habe-  
bat, cui nuper inter hostes fuisset. Imperij sedes ei  
apud



apud Montem acutum modò, nunc apud Mussum, quæ  
loca excoluerat, munierat, aderantque bombardæ,  
partim, quas conflauerat ipse sibi, partim quas ad-  
merat Venetis; & donatas ei ab Leua fuisse nonnul-  
las constabat. Iam egregie subnixa pluribusq; mu-  
nimentis insistens domus: quatuor fratres, totidem  
sorores, & quas in fraternam sibi curam adoptarat, cõ-  
sobrinae duæ: ipse laboribus & vigilijs attenuato  
corpore, sed florens integraq; aetas subsidio erat.  
E fratribus, Baptista, & Gabriel, hic adolescens, ille  
iam virili robore, socij expeditionum participesq; cõ-  
filiorum erant. Augustus ad spem generis familiæq;  
successionem reseruabatur: Ioannem Angelum, qui  
postea Pius IV. fuit, ad sacros honores ordine eniten-  
tem exspectabat Ecclesia, dum maturam capessendo  
Pontificatui aetatem afferret. E sororibus, duæ Me-  
diolani solennibus obligatae votis virginale æuum age-  
bant: duæ ad Mussum vnà cum duabus consobrinis  
constituta in Monasterij formam domo, procul ab mi-  
litaris aulae strepitu habebantur; prouideratq; seue-  
rus ad talia Demarchus, ne ministerio illic virili opus  
esset, neu quisquam illuc inferret pedem, excepto de-  
crepito vno capulariq; presbytero, qui sacrificij cau-  
sa descendebat ad claustra illa quotidie, & vbi perli-  
tasset, abibat. Harum deinde alteram, Claram nomi-  
ne, Vultheoderico Sittico nuptum dedit, cum Germa-  
niae procerum clarissimus Mussensi lacu renaugans do-  
mum, exceptus ab Demarcho splendidissime fuisset in  
hospitio apud eum, indeque orta inter ipsos amicitia

&amp;



& familiaritate, iuuenis, postquam domum peruenerat, petere virginem institisset. Medicaea minor, cui Margarita nomen, paulo post data est Giberto Borromaeo Comiti Aronae, modesto iuueni & pio, qualem praeparari D. Caroli patrem oportebat. Sed futuram eius matrimonij gloriam, celestemque fructum coecâ ad rem tantam humanae mentis coniecturâ minime prospiciens bellator audusq; rerum aliarum Medicæus, quæsierat potius id nuptialis pacti compendium, vt inita cum Borromaeo necessitudine, Aronae arcem ab eo eblandiretur, quod tamen, neq; conditionibus assequi vllis potuit, neque astu, cum vtraq; machina expertus conatusq; esset. Haec fortuna Medicaei ab initijs orta illis, quae demonstrata sunt, aucta deinde, & adulta varijs rerum euentis, & ipsius virtute, sicuti item demonstraui, ita se se habebat ad annum vsque vigesimumseptimum seculi eius videlicet cis 15. vt ab eo tempore fluctuare inciperet, rursusq; conflictata redigeretur in eum statum, in quo Medicaeus fuit, cum vitae finis ei accideret. Ceterum, anno illo quem notaui, cum Caesari natus esset Philippus auus Philippi IV. qui nunc regnat, conuersâ in tot Regnorum heredâ humani generis gratulatione, vel inuidia, vel si quæ ob eam rem aliae regnantium curae commotae erant, etiam Mediolanenses ad spem erexere animos, posse per eius Regij exortus latitiam à Caesare impetrari, quae legatione missâ aliâ pro misero vrbis statu nequicquam implorassent. Namque cum sub Borbonij discessum iuissent ad Caesarem legati petentes, vt



exonerari militum parte urbem iuberet, spreta ea, & re-  
iecta legatio fuerat in contumaciae p̄nam, qua crebris  
aulae sermonibus tumultuati esse aduersus regios prae-  
fectos, nationemque pulfasse Hispanam inculabantur.  
Nunc, vt dixi, spe animis sumpta noua, tamquam, ob  
regios natales, hilaritate & clementiâ cuncta apud Hi-  
spanum reniderent, mittitur Valleoletum in regiam ex  
vetusta urbis nobilitate Philippus Archintus, qui po-  
stea Mediolani Archiepiscopus fuit. Mandatum ei ab  
Decurionibus Urbis, primùm omnium vti diceret; Po-  
pulum Ecclesiamque Mediolanensem ita laetatum esse  
Philippi Principis ortu, vt veluti natalem suum diem  
eum semper concelebratura sit. Verè enim Metro-  
polim arbitrari se se renatam, propagata per eum infantē  
successione imperij, cuius desiderio, fideque erga illud,  
& pietate armaticiuēs potuerint trucidare Gallos, e-  
uertere eorum tribunalia, ferre obsidiones, exire con-  
tra, & ad omnia loca pugnare, donec Rex ille captiuus  
nonnullâ etiam Mediolanensium operâ fuerit in victri-  
cem aulam attonita omni hostium gente deportatus.  
Haec de se profiteri Mediolanenses, & si quis negare ve-  
lit, defendere esse paratos, & posse nationes interroga-  
ri, quae rebus adfuissent. Quòd si postea constituto  
apud Insuabres Austriaco Imperio, & diuisis per omnia  
urbis tecta militibus, nonnulla minus beneuole Medio-  
lanenses inter & Hispanos accidisse dicantur, illud quo-  
que defendere esse paratos, quòd nullâ suâ malâ mente  
sed mutuis irritationibus acciderint, & sicut in domo  
nonnunquam eadem inter fratres etiam taedia diutur-

T t t t t

nae



nae consuetudinis res aliquando dedere odiosas, ita in militari contubernio potuisse contingere nonnulla, quae possint depleri magis, quam defendi. Verum enim vero, neque purgandi, neque deplorandi causa legationem eam decreuisse Mediolanenses; petere à Caesare confidenter, ut dum cetera terrarum gestiunt plauduntque; regnatura infanti, velit ipsorum quoque plausus & gestientem alacritatem esse sine squalore & luctu, velit urbem leuare tributis, & onere insultuque quotidiano militari; simul annuat, ut eictos urbe ciues ob tumultus, patriae redonet, authoritasque Senatui pristina restituatur. Philippus Archintus Mediolanensium nomine haec ferme petierat. Responsum à Caesare est; displicuisse sibi ciuitatis eius miserias, inuitumque credidisse quod haud immerito ea paterentur. Sed praeterita omnia malle obliuisci; optare in posterum, ut obedienter mansueteque agerent; & hominibus ibi suis mandaturum, ut pro magnitudine, & nobilitate urbis benigne vicissim clementerque agant. Caesaris epistola ad Decuriones urbis, in eam sententiam data Archinto est, vidimusque nos autographum eius exemplar, inter Patriae monumenta, rem sane dignam publica custodia ob illustre Caesaris ipsius iudicium de gloria splendoreque urbis. In eadem epistola erat; Caesarem, qua clementia, & magnitudine animi erga Regem Franciscum Mediolanensium ipsorum virtute captiuum usus fuisset, ea se Mediolanensibus ipsis esse consulturum. Inter maximas Imperij curas esse hanc, ut ciuitas ea, populusque & Clerus, depulsis praesentibus miserijs rediret in eum statum, quo



quo olim fuisse diceretur. Ideo, quae statim tribui possent sine mora concessa esse, perscriptumque diligentissime ad Leuam, ut praesidia ex vrbe deduceret; satis praesidij in fide Mediolanensium fore; vel si ea abesset, ne arma quidem vlla aduersus contumaces esse valitura. Ab ea legatione Archinti Caesarisq; mandato, commodiora omnia Mediolani aliquandiu erant, exonerata vrbe, ductisq; aliò in hyberna vel aestiuaz militibus, quae ad eam diem publica, & intoleranda Metropoli calamitas fuerat. Paulò post reuocantur in stationem quique suam recrudescente circa vrbe bello, quod coeptum simul finitumq. est. Namq; dum Caesarianus exercitus, Borbonij ductu alibi rem gerit, & eodem sublato Borbonio, coeptis tamen illius insistit, nouae Gallorum copiae, duce Borbonio altero, qui Sampaulanus dictus est, apud Valentiam transgressae flumen, per populatae Mediolanensem agrum, municipijs vrbibusq. captis, ad Metropolim obsidendam nemine obstante retenderunt. Adeò soluta & neglecta repererant omnia, vel securitate Caesarianorum, vel viribus in pericula alia dissipatis. Seruauit in eo discrimine vrbe, eadem quae non semel alias saluti fuerat, siue leuitas, & inconstantia Gallorum, siue fortuna quaedam initijs eorum secunda, ad exitum fallax, & tunc maxime aduersa cum prope victoriam eis in manum dedit. Namque Sampaulanus animo casuque vsus eodem quo ceteri etiam ante ipsum Galli duces à moenibus captam iam fere vrbis vltro abscesserant, retulit ab Landriano repente castra tamquam iturus ad inuadendam Genuam,



cum si pergeret huc ire, capere Mediolanum potuisset. Et Antonius Leua cum eo exercitu, quem habebat, vrbe egressus persecutusq. abeuntem, turbauit primò ac fudit, deinde etiam cepit; qui superfuere Galli, cum infana trepidatione petiere alpes, & rediere domum, nec res alia magis extulit Leuam. Reliquerat hunc Mediolani Borbonius cum ipse Romam ad exitium dedecusq; suum post illa quae memorauimus dedecora proficisceretur; fuitq; Leua inter Hispanos duces, qui Caesaris nomine Mediolani imperitarunt, uirtute magis sua, quam origine par ceteris, Dauali prope discipulus, Borbonio melior; & pietatis monumenta reliquit. D. Dionysij Aedem, Et cum ea Aede Monasterium extruxere Seruitae erogata per ipsum pecuniâ, ut militare flagitium expiaretur, quo Monasterium Aedemq; aliam ordinis eiusdem demoliri necesse habuisset. Gessit bella consilijs nutuq; & nominis autoritate potius quam manu, cum ob magnos articulorum dolores inuolutus ferme fascijs iaceret; ac si prodeundum utiq. erat, gestatoriâ sellâ circumferebatur, splendidissime armatus, & cristarum amoenitate fastuq; dissimulans poenas. Tam felici uictoria factus etiam elatior, flagransq; ira in finitimos Venetos, quorum praecipue stimulis, nouum illum ex Gallia factum esse impetum sciebat, dum traiecto Abdua flumine, vastitatem eorum terris infert, nuntium accepit, haud equidem crediderim ei animo gratum, de pace, quae diu agitata conuenerat, fessis ob mutua dâna regibus, & anxio Pontifice, si tot maiorum orbi christiano causa ipse haberetur. Nuntiata pace, reducto

ad



ad urbem exercitu, quies armorum erat, atque erectis  
expectabatur animis, quo denique modo reconciliati  
inter se Reges componerent orbem terrarum; quae  
summa conditionum fuisset habendae etiam in poste-  
rum paci, si pax fida vnquam esse posset, vbi bellorum  
causae assidue existerent, & semel excisae renasceren-  
tur. Mox fama accidit, venire petendo diademati  
Caesarem in Italiam, vt veterum more coronaretur.  
Barcinone substiterat quamprimum inde traiecturus.  
Mediolanenses illuc Archintum destinauere eundem,  
qui priore legatione functus fuerat. Legandi iterum ea  
fuit causa, vt, & indicarent Caesari laetitiam gratulatio-  
nemque ciuitatis ex eo quod Imperatorem omnis me-  
moriae clarissimum terra Italia acceptura esset, & ad  
gloriam ornamentumque vrbis nonnulla peterent,  
quae priores etiam indulserant. Caesar, benigne au-  
dita legatione, legatiq. etiam ipsius prudentia, sicuti  
fama est, haud parum delectatus, concessit Iurifconsul-  
torum praecipue Collegio multa quae manent hodie,  
nec fastum modò nobilitati, sed etiam incitamenta  
virtutis addunt. Est id Mediolani Collegium fundatū  
antiquitus seuera lege, ac superba, ne recipiatur vllus,  
qui suos ab origine vltima auos intactos omni natalium  
& vitae labe exhibere non queat; quae necessitas, ne-  
scio, an principum quoque nonnullis molesta futura sit,  
si talia proferre documenta cogantur. Non pecuniae  
magnitudine, non gratiâ, claudicans & noua nobilitas  
aditum eò inuenerit; extantque exempla praediuitum  
candidatorum, quos suffragia omnia reiecere propter  
illibe-



illiberalem maiorum solertiam, atq. mercimonio non-  
 nullo contaminatos olim penates. Huic tunc Colle-  
 gio noua decora quaerebantur, deditq; ea Barcinone  
 sedens adhuc Caesar. Inde ille Bononiam venit, eoq;  
 Pontifex Clemens, & Pontificem affectati Cardinales,  
 legati praeterea Principum & Regum, principesque  
 multi vnà adfuere celebraturi coronationem Caesaris,  
 pompamq; visuri, qua nulla fortasse vnquam, neque il-  
 lustrior, neque spectabilior fuit, coronante Caesarem  
 Pontifice, inter quos paulò ante hostilia cuncta facta  
 erant; adstante purpuratorum corona, quos nuper vnà  
 cum Pontifice captiuos egerat Caesaris miles; adulan-  
 tibus denique ceremoniae huic legatis eorum, qui Hi-  
 spani nominis infectatione gratiam inter se certant, &  
 gloriam apud alios quaerebant. In ea tantarum con-  
 uersione rerum, vel mutatis omnium animis, vel compo-  
 sitis certè tamquam mutati essent, petitum à Caesare  
 impetratumq. est, vt Francisco Sfortiæ veniã præterito-  
 rum concessã pristinum statum redonare vellet; statimq.  
 ille ab Cremona accersitus, Dux Mediolani iterum fie-  
 bat. Ob eius rei gratulationem Archintus tertium le-  
 gatus ad Caesarem iuit; cui deinde legato gratia  
 apud Hispanos, odium apud Sfortiam peperit, & rur-  
 sus Hispani hominem vexauere, postquam Archiepisco-  
 pus urbis factus capessere Ecclesiam parabat. Nunquã  
 enim per eos inire honorem potuit; ac Bergomi prope  
 exsul est mortuus. Verùm, & quomodo suspicionibus  
 apud regnantem Sfortiam ille confictatus fuerit, &  
 quomodo in Philippi Regno Pontificatu prohibitus, po-  
 stea



stea ordine exponam. Sfortia restitutus est in Mediolanense imperium ea conditione, vt quadringenta millia nummum aureorum intra anni spatium, decennio deinde proximo decem pensionibus quingenta millia Caesaris fisco persolueret. Prior illa summa donec persoluta esset, arcem Iouis urbemq. Nouocomum haberet Caesar; pernumeratis quadringentis millibus ea quoque restituerentur. Hac & alia dum fierent, Antonius Leua cum idoneo exercitu apud Insubres maneret. Quae ultima conditio, velut fidei pignus stabilimentumque rerum inducta, & rem prope euertit, & labefecit fidem. Semper enim Leua Sfortiae infensus fuerat, & Sfortia vicissim oderat Leuam, inuicemq; alter alteri struxisse insidias dicebantur; & fama fuit; iam illectum prouinciae dulcedine Leuam, secretis apud Caesarem sermonibus agitasse multa, ne rem Mediolanensem villo modo alienaret. Possit ipsum, retenta Metropoli, totam subigere Italiam, & qui Italiae potiretur, ad imperium omnium terrarum parum ei abesse. Cuius consilij ratio, licet ab Caesare spreta & repudiata fuisset, recordatio tamen eius apud Sfortiae animum inter veterum irarum incitamenta assidue voluebatur, vt si caetera inter eos amica forent, possent hoc ipso irritari, alter quidem, quod sibi conscius esset, tam maligni consilij, quo Caesaris praeripere beneficium voluerat, alter vero, quod excitatae suae fortunae inimicum ac prope euerforem imminentem adhuc sibi legionibusq; succinctum intra fines eisdem videret. Hinc crebra materies offensionibus mutuis, & veluti stante supra ceruices



uices inimico infestior pene vita nouo duci in principatu, quàm ipso fuerat exilij tempore, tunc cum, Gallicis prius armis, deinde Caesaris inâ principatu arceretur. Sed exigendo etiam ipse tributa dissoluendis pensionibus, effecerat, vt Reip. status nihilo melior esset hoc tempore, quàm cum Galli vel Hispani tributis urbem iniurijsque vexarent. Et odio metuque Leuae coeperat in singulos fauere ciues, quoscumque, vel deditos ei, vel aliquo ipsius beneficio deuinctos esse compererat. Mitissimus antea princeps, & ob mansuetudinem ciuitati semper expetitus, coeperat nunc esse praeceps ad credenda deteriora; praecipitemque credulitatem poenæ in suspectos sequebantur, exilia nempe & proscriptiones, & exsulio vel proscriptione funestior dissimulatio in alios, quos in vrbe retineri tutius videretur. Ea noua calamitas nobilitati Mediolanensi exorta erat, manebatq; donec origo mali tolleretur, placatis casu quodam inimicitijs, quas, Sfortiam inter & Leuam magnas, atq; capitales fuisse demonstraui. Pacificator autè ille casus huiusmodi fuit. Philippus Archintus, quem ter ad Caesarem Reip. Mediolanensis nomine fuisse legatum ostendimus, quiq; Archiepiscopus postea futurus erat, egerat semper praecipua apud Leuam gratiâ, & honores ante Sforciae reditum obtinuerat ab eo, quoscumque ab regio praefecto in sua patria obtinere honestus ciuis posset. Ea beneficia & honores Archinto tributos torue intuens Sfortia, destinauerat hominem inter capita infida sibi, & inimici sui amicum amouere ex vrbe decreuit. Dicit ei iubet; melius fore



si discedat vltro; diesq; praefinita, intra quam excessisse finibus deberet. Enimuero, Archintus, repentinam eam vertendi soli necessitatem aegre admodum ferebat, sibiq; & familiae fore ignominiosam rebatur. Tum quia immerito res ea sibi accideret, etiam impavidus, & irato similior quam supplici, Franciscum Tabernam, iuris praefectum intimumque Principi adit. Vixisse cum fide sese erga Sfortiam testatur, & nullius culpa reum eijci Patriâ quae testis esse posset innocentiae fideiq; suae. Ceterum, non tam displicere sibi, quod sic immerito eijciatur, quam quod iniuria illa, pulcherrimi operis fructum interceptura esset, in quo tunc maxime ipse fuisset occupatus. Videntem enim sese & reputantem, quam damnosa patriae, quam molesta Principi essent illa, siue odia, siue dissidia, siue suspiciones & offensæ, quae cum Antonio Leua exercerentur, negotium id vltro habuisse susceptum, vt principum animos pro ea quam habere videretur auctoritate reconciliaret; ac sperasse rem posse confieri, iamq; certissima pignora reconciliationis eius, quod ad Leuam attineret, manibus tenentem, atroci denuntiatione esse perculsum. Studiosus homo, tum publici otij, tum principis vtilitatum Taberna ille erat, ac pro eo studio magnopere angebatur videns infensum Sfortiae esse Hispanum, qui, cum arma exercitumque haberet, Caesarisq; praeferrer auctoritatem, posse videretur in recenti dominatu obesse rebus & cuncta euertere, sicuti Daualus antea obfuisset, atque euer-

Vuuuu tisset



tisset collegâ fraudis eodem . Itaque spe pacis in-  
iecta illa, simul audita defensione, vel potius queri-  
monia Archinti, demonstrat Principi hominis inno-  
centiam, eique persuadet, vt, & salutarem, egregiūq;  
ciuem domi retinere velit, & ad conciliandum sibi  
Leuam eo interprete vtatur . Fuit deinde in vrbe  
Archintus multâ apud Sfortiam gratiâ ob id me-  
ritum, quia opus inchoatum absoluens, rationibus in-  
ducere suis potuit Hispanum, vt offensione deposita  
omni, & abiecto si quid hostile meditabatur, conferret  
vltro sese ad Sfortiam & bona fide cum eo in gratiam  
rediret . Minime dubitatum est apud prudentes, quin  
perniciēs aliqua vi siue dolo conflata Sfortiam mane-  
ret, nisi inimicitiae illae sublatae essent . Earum sine  
quieuerē ciuium etiam calamitates, quae, & oriebantur  
inde, & gliscente duorum principum odio cresce-  
bant simul . Sforzia, casu magis quodam, & Archinti  
illius opera, quàm vllō suo consilio depulsis periculis,  
quae ab inimico sicuti demonstratum est, Leuâ, im-  
minebant, ipso noui principatus initio deuenerat in  
pericula alia longe etiam grauiora ob irreparabile  
damnum existimationis, turpemque notam eius no-  
mini imminentem, si Dux Mediolani ipse, propter  
quem, inter duos Reges tanta contentione dimicatū  
esset, cuius causa, multi Gallorum exercitus, multa  
Hispana agmina, Romanae legiones, auxilia Vene-  
torum, omnia fere Christiani nominis arma in vnum  
conuoluta discrimen fuerant, nunc ab exule Medi-  
caeo, non prodicione aliqua, vel incursu tumultuario,



dolisue vllis, sed iusti more belli opprimeretur. Nihil enim propius factum est, quàm vt accideret istud; ac si qua debetur venia nimium iam ex ciuilibus bellicisq. negotijs assumenti mihi, nusquam ea iustior, quàm in parte hac operis fuerit; vbi tradentur res gèstae Iacobi Medicaei, illius scilicet, qui D. Caroli auunculus, Pij IV. frater fuit, qui vltimis mandatis expiata superiore vita, & sororis filio dignum sese prèbuit, & fratre, quem demum vterque expiantes addidere ornamenta publicis Ecclesiae rebus, & militari aenea statua posita in templo maximo quotidianas ei hostias decreuere. Medicaeus, audacia, & virtute sua, & prosperis rerum euentis in eam quam demonstrauit fortunam euectus, vbi restitui Sfortiam, eamq; restitutionem Bononiae agitari magno principum studio accepit, proficiscitur ipse quoque Bononiam, & deprecatore Leua, cui debere sese cuncta profitebatur, petere à Caesare institit, vt fieret earum rerum auctor, quas sibi Leua concessisset, castellaq; & arces, & loca omnia, sicuti iam ex pacto haberet, munere concessuq. regio posteri etiam ipsius haberent. Id cum praecise negasset Caesar, dixissetq; placere sibi, vt Sfortiae cuncta restituerentur, reuersus ille domum, ad bellum haud dubie imminens sese parabat, principesq. finitimos, quorum fidei sese antea tradiderat, inuocabat, vt sibi praesidio essent. Sabaudi praesertim opè nitebatur, qui pollicitus erat se ei nullo modo defuturum. Is Episcopum Vercellarum ad Sfortiam misit petens ab nouo Duce, vt honesta ali-



qua conditione cum Medicaeo transigere vellet: id sibi gratum, & vtilius fore ipsi, quàm recuperato nuper patrio imperio, bellum fumpfisse nouum, quo, ne vicisse quidem expediret ob ciuium cladem sine qua non posset vincere. Sed ne victoriam quidem esse certam ob vim ingeniumq. hostis, & locorum naturã, quibus ille sese tueretur. Ea cùm ab Legato dicerentur, minime Sfortia abnuebat veluti cupidus homo otij, rebus accisis, & anxius praecipue pecuniae summã, quam Caesari ad diem persolutam esse oportebat; fessq; insuper tot prateritis casibus animo, partem vitae suae extremam cum aliqua exigere pace auebat. Apud Medicaeum dispari de causa studium otij idem erat, nec leue lucrum ei, si absque armorum discrimine retinere posset ea, quae armis & dolo inuasisset. Inclinatis ita ad quietem animis, Sabaudus legatus conditiones hasce pacis ferebat. Haberet Medicaeus Mussum, & Leucum, & quicquid in Larij lacus ora iam teneret: cederet omni cis Abduam regione: Montem acutum relinqueret: deduceret praefidia ex Briantaeis, neu colles eos postea attingeret. Populis & terris quae ipsi relinquerentur ita imperitaret quomodo quilibet alius princeps imperitat suis: vitae necisq; arbitrium, arma & milites, & auri, argenti, aeris, standi feriundi potestatem intra suos fines haberet nulla in re subiectus obnoxiusue Duci, nullo in causis iudicij sue respectu vel cura imperij maioris. Quas lites, causas, ipse magistratusue eius alicubi iudicassent, earum litium, causarum iudicia,

con-



concessionem item & priuilegia, si cui ab ipso, vel à suis data essent, rata haberentur; neu rescindi & aboleri quicquam earum rerum villo modo licitum esset. Persolueret Duci Medicaeus quadraginta millia nummum aureorum pecuniae praesentis; Dux Medicaeo modios aliquot falis & tritici in singulos annos absque pretio villo exportationis daret. Cum haec pacis conditiones edidisset legatus, neque cuiquam esset dubium, quin res ita conuenire posset, turbauit eam spes casus primò vnus, deinde ipsius Medicaei mutata repente voluntas, additis insuper stimulis eorum, qui bellum illud ciuili simillimum bello, quam patriae otium malebant. Antonius Dugnanus erat ex Medicaei a seclis carus admodum ei ob promptum ingenium ad facinora; & quia multos in vrbe consanguineos amicosque haberet, tanto pluris apud eundem fiebat. Forte hic, interea dum conditiones agitantur, ausus venire in urbem, & pro exploratore comprehensus Sfortiae iussu in vincula conijcitur. Medicaeus ob id factum percitus ira, dimissis in varia loca cum delecto equite fratribus suis, plerosque vicissim capit e nobilitate Mediolanensi, qui nullo tali metu, velut in media pace rusticatum exierant. Ea nobilium captiuorum manu (& erant fere Principis familiares) ducta ad Montem acutum atque abstrusa ibi in latumias, ad Bentiuolum, qui pro Sfortia ipso regebat urbem illico scribit; Dugnani captiuitate se existimare bellum sibi esse indictum accipereque denuntiationem, & quo animo acciperet, eodem animo

iturum



iturum esse ad arma . Ceterum ita acciperet sciretque Sfortia; siquid grauius ab eo in Dugnanum forte confuleretur, id se etiam in captiuis suis absque mora imitari paratum fore . Denuntiatio ea repente Dugnanum soluit, sospesque ille ad Medicaeum est dimissus, & vicissim hic aperto ergastulo emisit suos . Quae dum fiunt, conticuerat omnis de pace actio, rursusque post dimissos vtrinque captiuos, resumitur eadem, deinde deseritur, rescindente scilicet Medicaeo caput illud, quod de quadraginta millibus in praesentia persoluedis inter conditiones erat . Resciderat autem abnueratque Medicaeus id pactum, obstrepentibus praesertim amicis, quorum ille consilio & opera utebatur . Namque fore aiebant, ut si ea pecuniae summa res Sfortiae angustas laxaret, nollet ille postea stare conuentis, atque ad ea, quae concessisset reuocanda subsidio illo armaretur . Legatus Episcopus, ubi difficultates exoriri tantas, inuicemque refractarios esse Sfortiam & Medicaeum videt, ab utroque postulauit, ut sex mensium induciae essent . Sic posse mitigari animos, remque componi . Interea Medicaeus ab Sfortia nactus id quietis, ad negotium aliud longe maximum, grauissimumque mentem adiecit, si pelleret ex Vallethelina Rhaetos, idque terrarum adiungere sibi posset; quod bellum accessio fuit, eius quod cum Sfortia postea gessit, & dimicatio illa hanc trahebat .